HIERONIMI NIgri Fossanensis, eremitæ Augustiniani.

DE ADMIRANDO MYSTERIO,
& Christo adorando in eucharistia, libri quattuor.

Contra hæreses.

Index rerum & sententiarum, quæ sparsim in his libris continentur, in fine apponitur.

Omnia sub iudicio Ecclesiæ.

Taurini apud Martinum Crauotum.
Cum priuilegio.

BERNARDINVS CAMBIANVS *Sauilianensis ex.D.Ruffiæ iuris.V.D. ad lectorem.*

QVid gratiarum debeatur ijs, qui celebres libros componunt, in præsentia non disputo. Illud modo dixerim. Huiusce operæ tanta est dignitas, ut uix ullus eßet finis. Cùm rerum sese offerētium (uelut immensum pelagus) occasio dicendi peritißimo authori V. *Hieronymo nigro succurisset. Sed olim nulla in re alia, iustius putarunt adhibendam frugalitatem: quā in oratione: quā Hæsiodus non aliter quàm preciosum thesaurum parcissimè censet esse depromēdam, ad usum nō ad ostentationē. Adeoq; prolixior non extitit: & lautus conuiuator esse maluit, quàm molestus.* Diligentiæ *enim pars est; quandoq; aliqua præterire.* Potuisset *utiq; plura congerere, sed nihil nisi ex probatißimis scriptoribus (ijsq; uetustis) decerpsit.* Nam *cū daretur quandoq; à negotijs uacuū tēpus, author ipse, sæpe oblectari mecum maluit his recitandis.* Inde *euenit: cum quo uersabar, eiusdem operis insignia nòn ignorarem.* Non *deerunt inuidi & obtrectatores, quibus displiceat, & qui calumnientur.* At *uisi nobis sumus, ab Antistene probe dictum:* Regium *est, cùm feceris bene, audire male.* At *tu candide lector: benigne suscipe munus hoc: & serio addisce isthæc: quò semper ad manum presto sint.*

VALE.

Reuerendissimo domino domino Cæsari Cibo Archiepiscopo Taurinē, Hieronymus niger à Fossano. S. D. P.

SCio, complures Doctissimos uiros: Amplissimæ præsul, hanc præstasse operam aduersus hæreses, quā nunc ego quoq; suscepi tractandam, quibus cum, nec ingenio, nec studio, neq; usu & cognitione rerum ulla ex parte sum conferendus. Neque tamen ob eas res desistam, quo minus agam quod statui animo, licet meæ tenuitatis mihi conscius sim. Sed quod summa illi cum eloquentia & eruditione fecerūt, crassiore (ut dici solet) minerua sum acturus. Pium illorum animum duntaxat imitabor, non lenorem orationis. Ipsi nempè (solo Christianæ philosophiæ ardore succensi;) gloriosum cum hæreticis iniere certamen, ne pestilentissimum dogma, oues, Christi sanguine redemptas, quoquo modo inficeret. Atquè pariter hoc nomine eorum studium patefactum est, quàm ingens, quàmuè solicitum fuit, in sibi commiso grege tuendo: seruandoquè. Declararunt simul atquè quantum ab ijs abhorrerent doctrinis, quas Ecclesia Christi non recipit.

Horum exemplo commonitus, in arenam descendi, aduersus eos, qui Christi corpoream præsentiam in mysterio eucharistiæ detrahunt: quàm nobis ipse Christus fidelissimé promisit. Cõtraqué eos pugnam inimus, qui panis uel uini substãtiam post mystica uerba, remanere contendũt: quiqué negant, hoc Christi mysterium, quod sacrosancta frequentat ecclesia, esse propiciatorium sacrificium: quod offertur pro uiuis ac mortuis.

Deniqué (Christo duce) insuperabile bellum suscipimus, aduersus superbos titanes hos nostros aduersarios, qui prædicant Christum uerum deum & uerum hominem, non esse adorandum in eucharistia. Quinimo idololátras uocant pios fideles, qui in eo mysterio Christũ adorant.

Contra hos scelestos errores acuendus est gladius, spiritus, & stringendus est Calamus fidei: atqué congrediendum est diuinis, ac apostolicis armis, ne ueluti cancer serpant, & totum orbem corrumpant: simulqué preciosum Christi sanguinis preciũ euertãt, fiatqué ut solo nomine Christiani simus: re ipsa uerò, in turcharũ superstitionem incidamus. Nihil enim æqué odit turcha in nobis ex suo impio maumete, quã quódChristum esse deum prædicamus: diuinumqué illi honorem deferentes, in mysterio quod instituit, nobiscum esse credimus.

Ideo pro uiribus: quas mihi suggesserit spiritus dei, conabor horrẽdas istas depellere blasphemias: ut appareat quàm improbé ij faciant, qui spretis Catholicis cõ=

cilijs, & sanctorum patrum decretis omnia innouant, mutant, inuertunt: atqué peruertunt.

Hæc certé pestifera paradoxa statim ab initio ut sunt inuulgata, me perturbarunt. Tuncqué suspicatus sum (si augescendo uires regnădi obtinerent) nos in antiquam superstitiosam gentium religionem, relapsuros, nihilq; reliquum fore, quàm ut quisqué pro libidine uiuat, & pium christianæ religionis cultũ, contẽnat.

Hos meos cogitatus quibus terrebar ab initio uariũ doctrinarum eadem tẽpestate aperui uiris ornatißimis Clementi, Belloto Cargnaneñ, & Iohanni Lancimano Fossanen, Cæsarei & Pontificij iuris interpretibus fidelißimis, cum quibus mea fuit semper familiaris consuetudo, qui idipsum quoq;, se pertimescere asserebant.

Licet uero ea omnia displicerent, quæ communi totius ecclesiæ consensui repugnant, insiliretqué animus ad scribendum, hactenus tamen Calamum repreßi, ueritus, ne deprauatis quorundam moribus & uarijs superstitionibus, ac damnandis abusibus uiderer fauere: quæ dormientibus hominibus irrepserunt in præsentem ecclesiam bonis & malis commixtam.

Contra hos abusus & malos mores ipsi hæretici uisi sunt primò sumpsisse certamen, ut uulgus omne putaret, non aliud eos moliri quàm ut Collapsi mores reformarentur in melius. Attamen rei euentu; prodijt eorum malitia, et studium eorũ patefactum est, quòd per deceptrices foueas & subdolos cuniculos omnia Chri-

stiana dogmata subuertere conantur.

Cùm uerò duo simul agere uideantur, unum scilicet de moribus corruptis, alterũ uerò de doctrinis, quidam, (uelut animalia quæ ungulam non diuidunt) sic utrunque coniungunt, ut pari iudicio eos uocent hæreticos: qui peruersos mores condemnant, atque eos qui falsam serũt doctrinam. Quin eò magis illos quàm istos putãt hæreticos, quòd dum mouentur abusus, maxima lucri spes illis decidat, & ex falsa doctrina (que soleat quoq; humanis cupiditatibus deseruire) nihil timeãt detrimẽti

Ego tandem omnem habens fidutiam in deũ, omniq; remisso terrore, per Iesum Christum (meæ fidei rationẽ reddens) sic utrumq; conciliari conabor, ut bonos mores cum salubri doctrina constare sim docturus: quanquàm unum sine altero esse potest.

Proinde qui malos mores sic damnant, & simul pestifera dogmata superseminant sunt redarguendi. Rursus, qui sanam fidei doctrinam sic tuentur, ut tamen malis moribus, & abusibus faueant: sunt pariter damnãdi. Imo multomagis isti, quam illi, corripiẽdi sunt: quòd cũ ueri luminis habeant cognitionem, quò dirigi possunt, eò magis recto itinere progredi debent, & longius à falsa religione secedere: quàm qui in tenebris ambulant, & lumen ueritatis non agnoscunt, Illud ergo faciendũ est, quod bonis moribus seruiat, & fideli doctrinæ non officiat. Ideò abusus omnes corrigendi sunt, & doctrina mala fugienda est.

Propterea nemo putet me uel laudare abusus, uel impiæ fauere doctrinæ. Cum pijs omnibus id mihi commune uotum est, ut ecclesia (quam suo precioso sanguine lauit Christus) sine ruga & corruptis moribus inueniatur. Id uerò tandem sperandum est fieri, unanimi omnium consensu: ut non modo mores ministrorum ecclesiæ reformentur in statum meliorem: sed Principum quoq; qui gladium portant ad uindictam malorum, & tamen ipsi etiam crudam exercent tyrannidem in pauperem plebeculam, & plusquàm tartareis furijs gaudent humano sanguine pollui. Ipsi etiam hæretici, qui uitam prælatorum improbè redarguunt, non ita compositis moribus sunt, ut in eis nihil desiderari poßit, sed cū in paludibus immundis uiuant (ueluti ranæ in cœno) post alios clamitant. Loripedem rectus (inquit satiricus) æthiopem derideat albus. Vniuersa caro corrupit uiam suàm, & a recto cursu deflexit. Commune igitur uitium est, & communibus suffragijs medicandum, ut communis omnium unica uita sit in moribus.

Dogmata quoq; unica esse debent, & cōmunia omnibus, ut sicut una est ecclesia, una fides, unus Christus, ita una sit confeßio ueræ fidei. Istud unicè optādum & orandum est, & correspondentibus moribus agendum. Hoc ego unum, in hac lucubratiuncula (pro mea tenuitate) conabor efficere. Neq; tamen sum inscius, non defuturos, qui mihi indignentur in re hac: ij præsertim, quibus præ reliquis omnibus scriptoribus, placent hæ-

reticorum schedæ, ut pluris faciant furtiuũ libellum homuncionis cuiusdã ignoti nuper nascentis, quàm uniuersos catholicos scriptores tot seculis adprobatos, qui uitam omnem piam & rectam (iuxta regulas orthodoxæ fidei) in sacris scripturis contriuêrunt.

Horum ego præposterum iudicium non pertimesco. Sunt rursus alij, qui me repræhendant, quòd audeã rem hanc tam grandem humili stylo in lucem mittere, quam cæteri ornatis uerbis tractarũt: quibus si conferar, elinguis uidebor & balbus. Veruntamen optarim magis haberi ridiculus ob dicti inelegantiam, quàm, ut nõ efficiam id, quod mihi suggerit spiritus Christi. Fides enim nostra, non in sapientia hominum est: sed in uirtute dei. Quòd si non illis proderunt scripta mea, qui nihil (nisi quod ciceronianum est dignantur legere) uel ijs saltem usui erunt, qui simplici & communi lectione contenti sunt. Vnum hoc quæro, non ut faciam satis ijs, qui nimium emunctæ naris sunt: & prurientibus auribus solam oblectationem inquirũt: sed ut simplici sermone simplices Christi oues admoneam, præcauere à uenenatis & subdolis symbolistis, ac reliquis hæreticis: qui apertißimis Christi uerbis uim facere non uerentur: & obseruatos Christianos ritus omnes, ab Apostolis usquè, reijciunt. Hoc mihi sat est, si obtineam per spiritũ Christi: non per uim orationis: quia res suscepta non ornamenta uerborum aut commotionis affectum, sed rerum argumenta desiderat.

Deniquè, dum in ea sum cogitatione: tu mihi occurris Antistes prudentißime, qui poßis & mei, & scriptorum meorum patrocinium & tutellam suscipere. Tu enim (præter reliquos) ad hoc opus peragendum, humanißimis tuis uerbis (quæ mihi præcepta sunt) hortatus es, affirmans commißo tibi gregi ueluti optimum antidotum profuturum: ne eo morbo, pestiferæ hæresis corripiatur, qui fermè omnes propinquas regiones corrupit, & fœdauit.

Quarè ijs tuis exhortationibus effecisti, ut oblatrantium uoces non pertimescam, & ad id quod iam animũ destinaram, calcaria addidisti. Igitur opellam hãc meã, quam promisi priusquã abires Romam, tuo nomini dedicaui. Idq; eò feci lubentiùs, quòd uiderim maximo te amore duci ad euangelicæ lectionis studium: ut tecum soleas sacros libros deferre: & (si quid obscuri sermonis est) doctißimos quosq; consulas. Tametsi uerò aduersus sacramentarios, mea hæc lucubratio suscepta sit, omnium tamen hæresum præsentis seculi dogmata peruersa comprehendit, & damnat.

Digneris itaq; præsul optimæ, huius operis (qualecunq; est) sic protectionẽ suscipere, sicuti Reuerendißime. D.T. integro animo dicatũ est. Id si feceris (ut spero prò tua benignitate) animum mihi adijcies ad pugnam quam cœpi. Vale. Taurini septimo kalendas Iulias. Anno uirginei partus, quarto & quinquagesimo post millesimum quingentesimum.

Petri ferreri salij in hoc opus siluula pannegirica.

Svmite cœlestem credentes sumite panem.
  Hoc in pane latet passio uera Dei.
Hic Christi natum corpus de uirgine pura
  In cruce quod passum: quod sedet in solio.
Hic uita est orbis: mundi uia, uulnera curans.
  Hic est saluator quem cecinere patres.
Hoc probat addictus sacris, sacer ipse nigellus,
  Qui niger, & miro qui nitet ingenio.
Bis quinos, octoq; uiros hic lumina sacri,
  Eloquij ueteres, sidereosq; citat.
Discutit a tenebris lumen lapsusq; resoluit:
  Arguit, & solers diluit atq; negat.
Argumentatur: respondet, ponit: & infert,
  Et ualet in lucta tendere palladia.
Haud niger insultat, placidé sed quærit: & affert,
  Atq; sinus sacros exibet eloquia.
Hic non nasutos, non nasos deniq; pandos.
  Formidat, nec qui Rhinocerota gerunt.
Non metuit laruas, mordaci tendere uero,
  Nititur, & uerum prorsus ubiq; fouet.
Martio, sabelio procul hinc Bionita facessant
  Arrio, cum reliquis; pestiferaq; tribu.
Quisq; fide integra nunc sumat corpus, & usquè
  Iam domini credat corpus inesse sacrum.

De infœlicitate nostri seculi, & errore Capernaitarum in mysterio eucharistiæ. Cap. i.

IN tantis ac tam atrocibus perturbationibus, quibus undiqué præsens seculum (si unquàm aliud) furore belligerantium principum quatitur, & hæreticorũ insania deuastatur, nihil est profectó, quòd maius detrimentum Christi ecclesiæ adferat, quàm pestilentissimum eorum dogma, qui sanctissimis detrahunt sacramentis, & naturalem atq; corporalem Christi præsentiam in sacra eucharistia negare præsumunt. Cumq; eam non credunt, qui in sua sunt cœcitate peruersi, non secus agunt atq; caparnaitæ qui cùm de cibo suæ carnis loquentem dominum Io.6. non reciperent, recesserũt ab eo. Immane nempé scœlus existimabant, crudis carnibus uesci: atq; in scythicam sese barbariem putabant pertrahi, qui hominum carnibus saginantur.

Hos Christus ipse ueraciter redarguit & murmurantes compescuit: simulqué ostendit, ab ijs non posse mysteria aprehendi cœlestia, qui spiritũ dei nõ habent. Cùm uero illi abijssent, Petrus et reliqui Apostoli quos

pater cœlestis traxerat ut uenirent ad Christum & in illum crederent, ab illo minimè recedunt. Quinimo interrogati à domino, an cum illis incredulis abire uellēt, uno ore (petri scilicet qui cæteris præerat) ressponderunt. Ad quem ibimus? uerba uitæ æternæ habes: & nos credimus & cognouimus, quia tu es Christus filius dei, uelutidicant, quò nobis est eundum? Ad quem cõfugiemus, cum quo nobis sit melius? Tu nempè in naturali substantia, filius dei es: deus uerus, de deo uero. Tu æterna uita, qui credentes in te uiuere facis in æternū. Doctrina tua efficax est: uiua & uera, spiritum dei & æternam uitam spirans, à te solo speranda est æterna salus: & quia carnem tuam ad cibum, & sanguinem tuū ad potum (idipsum scilicet totum quod tu es,) daturus es nobis, non recedemus à te qui uniri cupimus in te.

Hæc est uera fidei confeßio, aduersus quā non præualebunt portæ inferorum, quæ non est à carne & sanguine, sed à spiritu Christi. Neq; tamen cuiquàm mirū uideatur, si dixerimus, Apostolos non plenè tunc hoc Christi mysterium percepisse (habet enim fides suos progressus) Nam fermè adhuc carnales erant, & diuinæ rei rudes. Ideoq; huius mysterij modum, & si non plenè intelligebant: uerba tamen Christi uera esse non dubitârunt. At postquàm uerbis clarißimis cœnam suam Christus instituit, & sese manducandum discipulis præbuit dicens (porrecto pane) accipite & comedite, Hoc est corpus meum quod pro uobis tradetur: &

accepto calice, dixit. Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine, bibite ex eo omnes. Dùm hæc (inquā) Christus protulit, ipsi apostoli (certa fide firmiter persuasi) uerum Christi corpus & uerum sanguinem, sub speciebus panis & uini, in mysterio exhiberi constanter crediderunt: idipsumque mysterium à Christo institutum, ab omnibus fidelibus credendum & obseruandū prædicauerunt.

De recto usu sacri mysterij seruato ab Apostolis & eorum succeßoribus, & de errore Berēgarij andegauensis Archidiaconi. Cap. 2.

IN hoc sacratißimo ritu tota sanctorum perseuerauit Ecclesia. Sub ipsis Apostolorum temporibus, sicut in actis legimus, quòd erant perseuerātes in doctrina apostolorum, & communicatione, & fractione panis, & orationibus; & alibi cùm conuenissemus (inquit lucas) una sabbati ad frangendum panem. Hanc quoq; sacratißimam Communionem, & fractionem panis sancti martyres sub sæuißimis Imperatorum & Regum persecutionibus, religiose obseruarunt, sicut ex Cypriano, & hoc uetustiore Tertuliano, adparet. act.2. act.20

Nec quisquàm Christo initiatus, præsumpsit de hoc admirando mysterio quicquam addubitare. Quando quidem usque ad tempora Augustini, qui claruit post Christum natum Anno quatercentesimo duodecimo:

ſub Innocentio Romano *pontifice: & honorio imperatore: ſincera huius ſacro ſancti myſterij fides ſuſcepta eſt.* Nam *cum omnium hæreſes, uel quæ ante eum fuerant, uel quæ etiam ſuo tempore forent: in unum uolumen collegiſſet ad quot uult deū numero octoginta octo (quarum pelagiana hæreſis ultima eſt) inter tot, & tātas, nulla omnino comperitur eorum, qui Chriſti corpoream præſentiā in myſterio eucharistiæ denegauerint.* Quanquàm Artotyritas *commemoret, qui panem & caſeum deo offerebant. Sed hæc oblatio ad Chriſti cœnā non pertinet: ſed ad* Iudæorum *magis obſeruantiam.* Cathaphriges *uerò &* Pepuziani*(rem funeſtam facientes,) à noſtris ſacramentarijs plurimùm differunt.*

Quapropter *integerrima fidei ſinceritas præſentiæ Chriſti in ſacramento, ab ipſis fundatiſsimis Chriſti &* Apoſtolorum *ſedibus, uſq; ad* Auguſtinum, *& deinceps annis ſeptingentis (ſuccedentium ſibimet epiſcoporum ſerie, & tot populorum unanimi cōſenſu) ſeruata eſt, ut nemo in tam certa Chriſti inſtitutione adſubitarit.* Yconoclaſtæ *ideſt imaginum demolitores, qui ſub* Irene Conſtantini *matre, &* Adriano *pontifice damnati ſunt, incruentum Chriſti ſacrificium, ymaginem Chriſti corporis dicebant. Sed cùm inconſtans eſſet eorum doctrina, confitebantur diuinū corpus panem fieri, quos imperitiæ redarguit* Epiphanius *diaconus in ſecunda ſynodo* Nicena, *de qua infra dicturi ſumus.*

Berengarius *igitur capernaitarū errorem integrè*

primus reduxit, circa annum domini millesimum quinquagesimum: quem Concilium Vercellense cum suo dogmate damnauit: & cùm esset conuictus abiurassetq́; hæresim, in synodo Turonensi: tamen relapsus est. Post hæc deuictus, iterum perniciosam hæresim deposuit. Attamen tertio etiam ad uomitum rediens, Romæ accersitus est, & illuc ueniens, in concilio & patrū consessu, euidentißimis scripturarum testimonijs confusus, tertio quoq; in se reuersus uenenum mortiferum penitùs euomuit, nec se ulteriùs in uolutabro luti polluit, sed multomagis seductos à se dedocuit, & ad uiam rectam reducere procurauit.

De renascente hæresi berengarij: quæ etiam uiam præparat ad alias hæreses præsertim Arrianam. Cap. 3.

POst Berengarium annis tercentum, extinctā hæresim Iohannes Vichleuus fecit rediuiuam, & in synodo constantiensi pariter damnatus est. Non satur demon peruersæ huius hæresis damnatæ, & repetitæ, omnes uires suas, hisce nostris temporibus, in unum collegit: & ab orcho sepultam hæresim, fœtidam, & male olentem, super terram reduxit suaui quorūdam perditißimorum uaniloquio, qui rethoricis blandimentis fideles à recta fide perturbant: ut non credant simplicibus Christi uerbis, quibus luce clarius in sacro mysterio, quod in sua cœna ipse Christus instituit: suam

præsentiam adesse monstrauit. Ait enim, hoc est corpus meum, quod pro uobis tradetur. Veruntamen ij tenebriones, contra quos certamen aßumpsimus: suas offundunt tenebras: & Christi uerba negant in propria significatione debere intelligi: sed in eis subesse tropum & figuratam esse locutionem, & cùm sæpius in alijs suis disputationibus & peruersis erroribus prouocent ad scripturas sacras, quas dicunt adeó claras, ut probatißimorum quoruncunq; uirorũ expositiones & glossas non admittant, in ipsis tamen apertißimis Christi uerbis, non patiuntur simplicißimum uerbum substantiuum, est, significare substantiam cùm ait, hoc est corpus meum. Sed contendunt esse tropicum sermonem.

Quód si in re tam lucida non admittunt genuinam huius simplicis uerbi naturam, ualde pertimescendum est, ne in hæresim Arrianam uel Photionis, aut manichei paulatim corruant; & fortaßis, hoc illorum est studium, hoc tandem moliuntur, ut remissa penitus regula ecclesiasticæ disciplinæ, pro sua libidinæ perspicuos diuinæ scripturæ locos tenebris inuoluant: & quas diximus hæreses, præsertim arrianã, maumethicis figmẽtis confinem, in agrum Christi, & campos ecclesiæ superseminent & intrudant.

Non est hic locus enarrandi, quæ & quanta detrimenta arriana hæresis attulerit ecclesiæ Christi. Nulla est profectó ante hanc tempestatem, quæ tot habuerit fautores, & asseclas. Huic hæresi aliquando subscripsit

Liberius, ab exilio reuocatus. Hanc protexerunt Imperatores Reges: episcopi: & sacerdotes, multoq; tempore per totum ferè orbem diffusa regnauit. De qua sic ait Hieronimus. Vna scintilla Arrius fuit in Alexandria, & quia non cito extincta est, totum orbem populata est flamma eius.

Ideoq; Demon callidus & uafer sperans non defuturos, quibus hæresis Arriana non displiceat, quæ aliquando tantos habuit heroas defensores, id ipsum conatur efficere, symbolistarum ministerio, ut tandem cum turcis commisso fœdere, Alcoranum execrādis blasphemijs refertum, cum purissimo Christi euangelio conferat, & conciliet. Non ut turcæ Christiani fiant, sed ut Christiani maumeth, atque arrij sequantur errores. Quod haud fuerit difficile si hæc noua dogmata sacramentariorum recipiamus.

Quòd falaciter nimiùm significatione uerbi substantiui hæretici abutūtur ubi opus non est, & quæ mala sequantur. Capitulo. 4.

CONstat enim substantiuum uerbum, fontem esse atq; originem omnis humanæ locutionis, ex eoq; (ueluti prima radice) omnium cognitionum & scientiarum dependere uirtutem, dum alter alteri sensus & intentiones suas depromit, eoque dicitur substantiuum quod per se subsistet, nulli inhereat. Omnia reliqua adie-

ctiua uerba dicuntur, quòd uni uerbo substãtiuo sic adhereant, ut omnia resoluãtur in ipsum, & per ipsum cũ reliquo quod est quorumlibet ipsorum propriũ significatum. Puerilia hæc fortasse uideantur: & cum ijs qui pueri sunt sensibus pueriliter tractanda, cũ Apostolus dicat, nolite pueri effici sensibus. Tamen necessaria sunt.

1. Cor. 14.

Si igitur uerbum, est, à prima sua, & naturali significatione decidat, ubi nulla subest ratio, quis nõ uideat, in quantam rerum omnium ignorantiam decidamus? Peribit certè omnis doctrina, cùm liberum fuerit unicuiq; quarumcunq; rerum denegare substantias, ut iam homo non sit homo, lapis, lapis, ouis, ouis. Itaquè nihil sciri poterit, & academicam ignorantiam cũ Archesilla (quem ignorãtiæ magistrum uocat Lactãtius) profitebimur.

Lac. li. 3. c. 6.

Dicite queso: quibus rationibus, quibusuè argumentis, manicheorum uel Arrij hæresis, deuinci poterit, si tropum dixerit subesse in ijs dictis. Deus est homo, uel homo est Deus (quum de Christo loquimur) aut in ijs etiam catholicis & euangelicis uerbis: filius dei est Deus, & uerbum caro factum est? Prædicabat nempè Arrius, filium dei esse creaturam, nequè esse eiusdem substantiæ cum patre. At Christus filius dei est. Qui igitur negat, filium dei esse deum, an, non negat Christum esse deum? Quid erit ergo nisi homo solum? Omnes autem locos diuinæ scripturæ, quibus asseritur filium dei, esse deum esse

tropicas acclamabit; & non identicam significare substantiam, & ad idipsum quoque arridebit phocion, qui Christum non aliud putat, quàm hominem. Manicheus etiam, & Marcion ex hoc turbido lacu hauserunt unde suum facerent delirium. Qui aßerunt Christum fuisse tantum deum, non uerè hominem sed in imagine; & cùm a uiris catholicis citātur scripturæ sacræ quibus Christus dicitur esse homo, ipsi pariter respondebunt, per symbolum methaphoricum esse intelligendas. Quia apparuit Deus Christus in similitudine hominis, & uisus est esse caro, uel in carne, quāquàm, nec homo uerè esset, neq; ullo modo carni unitus.

Itaquè si semel, obtinuerint, ut uerbum substantiuum omninò decidat à substantia in locis manifestis, ubi suam potest (ex usu loquendi) tenere naturam, statim triumphabunt & alios claros scripturæ locos se putabunt adducere, ut in sua cæcitate firmentur. Citabitur Paulus ad philippenses, qui Christum formam serui accepisse testatur, & in similitudinem hominū factum, atquè habitu inuentum ut homo. His mehercle sententijs in speciem conspectis, exacuet suum gladium impius Manicheus, aduersus Christi ecclesiam, & ex Christo uero deo & uero homine, præstigium nobis faciet & merum phantasma, ut non credamus, Christum ex uirgine natum, si ex ea ueram carnem non assumpsit; non passum, si carnem non habuit humanam, non sepultū. Ideoquè nec resurrexisse phil. 2.

à mortuis, nec ascendisse in cœlum, nec sedere ad dexteram patris: nec uerè misisse paracletum ad regendam ecclesiam, & in remißionem peccatorum. Hæc certè omnia orthodoxa fidei nostræ fundamenta omninò corruunt & inania sunt somnia, nec licebit quicquàm certi pronunciare de Christo.

Denique Sabellius diuinam triadem irridebit, cum iudeis, qui putant nos tres deos colere. Ille uerò, patrē, filium, & spiritumsanctum dicebat esse indifferētia synonyma, & confundebat personas: ut is qui pater est, sit filius, & spiritussanctus, is qui filius sit spiritussanctus & pater, & qui spiritussanctus, sit pater & filius.

Quòd seruanda est uera & genuina significatio uerbi, substantiui nisi locorum circunstantiæ cogant esse tropicam. Cap. 5.

HAs ergo quas diximus hæreses. Videlicet Arrianam, Photionis, Manichei, Martionis & Sabellij, Atq; alias plures, haud poterimus deuincere, nisi substātiuum uerbum, est, in sua genuina ratione teneamus, Neq; facilè licebit ab ea deflectere, nisi scripturæ adiacentia, præcedentia scilicet & sequentia, aut res ipsa nos cogāt, A lioqùi proprietas sermonis semper est tenēda, Neq; uerò inficias imus plerosq; locos esse in scripturis sacris, in quibus uera huius uerbi substātiui substantia nequeat intelligi: sed quando sic est, uel non, ex

ipsa textus connexione optime potest comprehendi, ueluti quod in genesi legimus, cùm interpretatur Ioseph somniū pharaonis. Sic enim ait. Septē boues pulchræ, & Ge. 41
septem spicæ plenæ, septem ubertatis anni sunt. Et post paululum, septem quoq; boues tenues, & uento urente percussæ & macilente, septē anni uenturæ sunt famis.

In ijs & similibus locutionibus, figuræ rerum ijsdē nominibus denotantur, quibus res ipsæ quas significāt, & figuratam esse locutionem nullatenus dubitamus. Nequé enim per ipsam rei substantiam, boues pulchræ, septem anni sunt ubertatis, sed significant. Nequé boues macilentæ, anni sunt sterilitatis & famis: sed significant, quod ex ipsa rei substantia & adiacentibus scripturarum contextibus depræhendimus.

Solent symbolistæ cōgerere plures locos ex scripturis sacris pro hac re ut persuadeant parū cautis, id esse quod inaniter delirant de sacro mysterio: & quum locum hunc tractant, obstinate nimium resistunt Catholicæ ueritati. Tametsi enim aliquando uerbum est pro significat accipiatur, sicut dictum est, tamen non ubiqué statuendum est sic esse intelligendum. Debet enim scriptura iuxta regulas rectæ fidei examinari, & ubi proprius & germanus sensus ad literā seruari potest, nulla uis est inferenda, etiā si ingenij nostri capacitatē excedat. Si uerò ad fidei ueritatē, non potest referri, figuratam esse locutionem intelligamus. Sicut docet beatus Augustinus in libro de doctrina Christiana. lib. 3.

Quòd in sacro mysterio seruari debet natiua significatio uerbi substantiui. Capitulo. 6.

HOc uero quod agimus, de uerbis Christi in institutione sacri mysterij, ita in suo genuino sensu capi debet, ut quum dicat Christus: hoc est corpus meum, symbolum non recipiamus, quasi illud non uerè sit corpus Christi. Dictum enim Christi, nihil impoßibile denotat, uel alicqùi fidei repugnans. Quinimò fidem nostram ædificat, & ecclesiam sponsam suam Christus exhilarat in spē diuinæ dilectionis & hæreditatis æternæ. Qui enim semetipsum donat per proprium corpus in mysterio, quomodo non omnia nobis donabit? Interæaqué fideles qui uera ipsius carne impinguantur, & saginantur sanguine; corpori eius & sanguini se coaugmentari non dubitant. Nihil certè preciosiús; Nihil dignius habuit Christus quod daret suis, quā seipsum. Totum enim quod de nobis sumpsit, totum nobis contulit, non modo in precium per Crucem, sed in cibum per mysterium, ut unū efficeremur cum eo. Vna quippè caro est sponsus & sponsa, sicut scriptum est, erunt duo
Ge.2. in carne una, Christus uero per fidem desponsauit eccle
eph.5. siam, (sicut in osea dicit) & hanc intimam sponsæ con
oseæ.2 iunctionem nusquàm euidentiùs expreßit, quàm quum per ueram suæ carnis manducationem, in carne sponsæ suæ ecclesiæ coalescere uoluit. Nihil certè sublimius, habet ecclesia, nihil excellentius sacramento eucharistiæ. Omnia enim cætera tam noui quā ueteris testamēti sa-

cramēta præcellit. Tū quòd in alijs nulla substātiæ mutatio fiat, cū quòd ecclesia eo uescēs in unū corpus cum Christo redigitur, nō tantū spiritu (quod recta fide, charitateq́; sincera fit) sed ut simus mēbra corporis eius ex carne eius, & ex oßibus eius, quēadmodū uetustißimi patres locū, b. Apostoli interpretantur. Hoc mysteriū ipse Christus in Iohānis euangelio Deliniuerat dicens: Sicut misit me uiuēs pater, & ego uiuo propter patrē; & qui mãducat me, uiuet propter me. In ijs dictis aperit Christus uitā ueram & unionē inseparabilē, quam adepturi erant fideles, nō per fidē solum, sed etiam per manducationē carnis Christi, & potū sui sanguinis. Cyri. Hyl. Eph. 5

Est reuera ea unio quæ per spiritū est, unione quæ per carnē fit, multo magis intimior, quia per spiritū deo magis similes sumus quā per carnē, (uita enim in spiritu est) sed nulla re alia efficatiùs nos Christus, ad uerā uitā & unionē spiritus attraxit, quàm cùm suā carnē manducandam, & sanguinem bibendum nobis instituit. Qui manducat (inquit) me, uiuet propter me. Christus ijs uerbis altiorē requirit intelligētiā, quā quòd sentit mēs infirma & in spiritualibus cæca. Cùm enim dicit, sicut misit me uiuēs, pater; & ego uiuo propter patrē, suam cōsubstantialē essentiā, & æternā cū patre substantiam exprimit, à quo æternaliter est genitus. Sed cū ait, & qui mãducat me; & ipse uiuet, ppter me, cōsubstantialē quandā unionē eius corporis & sanguinis, per cibū & potum nobiscū fieri uerè ostēdit, ut sicut per illud, quod

à patre habet, unum est cum eo, ita modo quodam, per id quod de nobis, & nobiscum habet, unum efficiamur cum ipso. Stupendum sanè est hoc mysterium, & omnẽ admirationem excedit. Quòd licet humana mens ad tantæ cognitionis altitudinem attingere nequeat, ut rationem tãtæ diuinæ dignationis comprehendat, absit tamen, ut negare præsumat, quod factũ esse uniuersa credit ecclesia, per eum, qui cùm sit omnipotẽs cum patre, per substantiam quam cum eo habet communem, eandẽ quoq; omnipotentiam in carne quam de nobis, & pro nobis assumpsit, dignatus est demonstrare.

Qui negant Christi præsentiam à mysterio ingrati sunt diuinæ beneficentiæ, nec sentiunt diuitias oblatas. Cap. 7.

Itaquè, qui Christi præsentiam remouent à mysterio rem prorsus impiam damnandamquè committunt, Qui etiam admirandam & diuinam unionem, quæ fit per participationem corporis & sanguinis eius omninò excludunt. Quæ ratio hos moueat, cur hæc dicant, non uideo. An ita osores Christi sunt, ut corporeã eius præsentiam abhorreant & fugiant? Profectò hoc ingenium cuilibet animanti à natura traditum est, ut si quã diligit rem, præsentem habeat, maiori affectu feratur in eam, quàm si absens fuerit. Atq; cũ ea fruitur præsente, eius discessu, animus perturbatur amantis. Isti,

uerò uel non diligunt Christum, aut in eis hoc naturæ ingenium deprauatum est, qui absentem Christum magis diligant, quàm præsentem: & eo præsente horrescunt, quo absente gloriãtur. Quid (quæso) gloriæ uel honoris, quid utilitatis aut commodi, metiuntur sibi ij qui non credunt Christum suo adesse mysterio per corpus & sanguinem?

Hoc reuera extremæ ingratitudinis indiciũ est & deploratißimæ conscientiæ. Quòd Christi præsentiam nõ sustinẽt, eoq; semet reos iudicãt dãnationis æternæ qui Christũ odio habẽt. Non sentit infida mens ipsorũ cœlestes delicias, in suis schismaticis cœnis, à quibus Christus abest. Soli catholici diuinã beneficentiam colligunt in uera communione fidelium, qui Christi præsentiam tanto magis credunt, quanto ab ea nunquàm separari uolunt. Tantoq; alacriùs ac fortiùs contra diabolum, & cupedias huius seculi pugnãt, quantò præsente Christo eius adhortatione firmantur. Et sicut milites huius seculi, aduersus hostes suos præsente duce, constantius pugnant, ita ut non tantum natura uires præbeat, sed oculus etiam ducis uim conferat, ita suis adest: Christus pro se præliantibus & per uim spiritussancti uniuersos hostes debellat, uultq; nobiscum esse usque ad consumationem seculi, non solum spirituali præsentia, qua deus est, sed etiam corporea, qua homo est, & per quam in sacramento præsens est. At ingratißimi symbolystæ, Christi præsentiam sustinere non possunt, qui

profectò illud dicere uidentur, quod ait Esaias. Recede à nobis, & ne appropinques, quia immundus es. Sed uide, quid sequitur. Isti fumus erunt in furore meo ignis ardens tota die. Ideò isti quoq; citò euanescent nec subsistent in die furoris domini: quia infœlices non agnoscunt immensam Christi gratiam, quæ nobis per promissam præsentiam efficatiùs ostẽditur in mysterio eucharistiæ, quàm in cæteris eius actionibus,

Non negamus multum frugis & solaminis Christi in cruce paßi memoriam nobis afferre; scimusq́;, quòd consesßio eius ad dexteram patris, ubi pro nobis orat & regnat, uniuersam defendit ecclesiam. At cùm certa fide credimus Christum adsistere sacramentò quod sumimus, mirum immodum flamma diuinæ dilectionis cor nostrum accendit, & Christi paßi memoriam dulciùs recolimus; & illuc in cœlis apud patrem regnantem credimus, & istic in terris apud nos esse non ambigimus. Neque (sicut illi) putamus unum alteri obesse posse. Quinimò multomagis Christum nobiscum esse sentimus, quantò apud patrem semper manere fideliter confitemur.

De diuina prouidentia, in Christo & per Christum manifestata, in eucharistia. Cap. 8.

QVo honore, qua maiore dignitate Christus nos potuit honestare, quàm ut profiteretur nobiscum se semper uelle manere? Agnoscit certè

ouium suarum natiuum languorem, atque alias superadditas peccatorum sarcinas. Hinc decommissa cura pastoribus, quasi non fidens (more hominum loquor) ob ipsorum pastorum ignauiam, ipse quoque assistere uoluit, & super suo grege inuigilat.

Hanc solicitudinem sibi deus pater ab æterno commisit, ut ipse Christus dei filius non in ea tantum natura qua æqualis est patri, perditum hominē ad amissam innocentiæ rectitudinem reuocaret, sed in carne quam ex uirgine sumpsit semper nobiscum adesset. In ea quippè carne, duo admiranda peregit. Vnum quòd in ea passus, adæ debitum pro nobis deo persoluit. Alterum quòd in ea apud patrem regnans, & nobis per sacramentum suum semper præsens, ab iniquo serpente nos seruat; ut qui per mortē chirographum, quod contra nos erat deleuit, & cruci affixit, nunc uiuens & regnans expoliatis principatibus, & potestatibus, palàm triumphās, idipsum omnem uim perdidisse monstraret. col. 2.

Parum enim admodùm nobis profecisse uisus est Christus, crudeli oppetiisse mortē, nisi resurgens & regnās nobiscū in mysterio semper adesset. An putatis Christū carnem in cœlo tenere otiosam? Absit. Quid igitur miramur si eam incorruptibilem nobis manducandam exhibeat & suaui pinguedine (sine suo labore) nos alat?

Pudeat igitur aduersarios suæ temeritatis, qui Christum in mysterio nobis auferunt, & tanta bona perdūt;

quiq; Christi gloriam obscurant, qua regnat in ecclesia, & eius uerbis uim faciunt. Nos ei credimus & extraneam significationem non recipimus.

Verum enim uerò, ut appareat quam pia sit nostra assertio, conspicienda est institutio Christi, & apostolorum testimonia audienda sunt. Autoritas quoq; & patrum consensus hanc fidem deffendunt, & insaniam sacramentariorum detestantur, & eorum argumenta atq; rationum iacula repellunt, & scuto fidei retussa retorquent. Quòd & nos facturos (fauente Christi numine) speramus. Iam igitur Christi institutionem conspiciamus.

De summa Christi dilectione: & de institutione sacramenti, ex Mattheo, Marcho, & Luca. Cap. 9.

Io. 13. CVm dilexisset suos Iesus, qui erant in mundo, in finem dilexit eos (sicut in euangelio Iohannis legimus) sciens quia uenit hora eius, ut transeat ex hoc mundo ad patrem. Ideoquè instituturus mysterium decreti, quod ab æterno disposuerat, ut tanti beneficij iugis memoria in nostris pectoribus inhæreret, antequàm per mortem crucis suos electos redimeret, no-
Ioh. 8. uum suum, & admirandum condidit testamentum ipse
Io. 14. Christus, lux mundi, uia ueritas, & uita, plenus gratia
Ioh. 1. & ueritate, in quo sunt omnes thesauri reconditi scien-
Col. 2. tiæ & sapientiæ dei. Et cùm in mundo pauper esset, nec

haberet unde caput suum declinaret, non huius seculi Lu.9.
regna, non pompas: non diuitias, aut alioqui immundas
delitias, legat carißimis suis fidelibus, sed ijs precioßißi
mum suum corpus tradidit ad manducandum, & suum
mundißimum sanguinem distribuit bibendum.

Huius inæstimabilis dilectionis testes adhibuit, apo=
stolos omnes, nominatim uocatos & cognitos nulla ra=
tione suspectos. Hoc testamentum in scriptis nobis reli=
querunt euangelistæ. Sed quia hæreditatis eius & bo=
norum legatorum nobis facescunt negotium, impij qui=
dam, spurij, qui moliuntur hanc preciosam hæreditatem
perdere & legitimos filios tantis bonis spoliare, ideò
diuini testamenti uerba in ipsis sacratis tabellis diligen
tiùs sunt animaduertenda. Mattheus sic scribit. Cœnan ma.26
tibus autem eis, accepit Iesus panem, & benedixit, ac
fregit, deditq; discipulis suis & ait. Accipite & come
dite, Hoc est corpus meum. Et accipiẽs calicem, gratias
egit, & dedit illis dicens. Bibite ex hoc omnes, Hic est
enim sanguis meus noui testamẽti, qui pro mutlis effun
detur in remißionem peccatorum.

Marcus sic ait. Et manducantibus illis accepit Iesus Mar.
panem, & benedicens fregit & dedit eis: & ait illis: 14.
sumite; Hoc est corpus meum. Et accepto calice, gratias
agens dedit eis; & biberunt ex illo omnes, & ait illis.
Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis
effundetur. Lucas sic recenset uerba testamenti; Et ac= lu.14.
cepto pane, gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens:

Hoc est corpus meum quod pro uobis datur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquàm cœnauit dicens: Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo qui pro uobis fundetur.

Isti tres euãgelistæ uno consensu rei summam enarrant, quam oportuit esse grauissimam, quòd ad amussim omnia quadrent. Non est autem ambigendum de fideli narratione uerborum Christi in suo testamento; quando tanto consensu repetuntur. Nec puto aduersarios esse tantæ temeritatis, ut dicant, Apostolos esse mentitos, aut alijs uerbis usos, quæ non dixerit Christus, quanquàm tantæ sint temeritatis quidam, ut dicant non esse fidendum scriptis apostolorum; quod euangelium scriptũ sit in cordibus, liceatq; unicuiq; suo spiritu duci, sed ijs se opponunt catholici patres, qui hac potissimum ratione, non sunt usi immutare uerba Christi, quòd cognoscerent diuinum esse mysterium, & admirandum sacramentum quod agebatur, & distribuebatur discipulis omnibus.

Cur igitur se opponunt lucidis Christi uerbi talpæ istæ, quæ nuper emerserũt e cœno: quid clarius dici expetunt? Nihil est institutione Christi manifestius. Hæc exteras interpretationes non admittit. Nuda uerba (uti dixerim) conspicienda sunt, & firmiter retinẽda. Nullus hic tropus, nulla figurata locutio miscenda est, quæ irritum faciat testamentum, quæ euacuet promissam gratiam remissionis peccatorum.

Quod Christus suam institutionem uocat, Nouum testamentum in suo sanguine confirmatum, figuratum in ueteri testamento. Cap. 10.

PRoindè Christus hanc suam institutionem uocat, Nouum testamentũ. Antea enim per Mosen fuerat uetus testamentum ordinatum à Deo: in quo præter terram Chanaan, & reliqua huius mundi bona, populo dei nihil uidebatur esse promissum; & has tamen terrenas promissiones confirmari iusserat deus, sanguine pecudum; ut per sanguinem firmum haberetur quod promissum fuerat. Testamentum enim (inquit Apostolus) in mortuis confirmatum est. Alioquin nondum ualet dum uiuit qui testatus est. Vndè nec primum quidem sine sanguine dedicatum est. Lecto enim omni mandato legis à Mose, uniuerso populo, accipiens sanguinem uitulorũ & hircorũ, cum aqua & lana coccinea, & hisopo, ipsum quoq; librum, & omnẽ populum aspersit dicens. Hic sanguis testamenti, quod mandauit ad nos deus. Hos ritus, has tantas ceremonias ab re promissas esse, non putarim, sed per alegoriam quoque (sicut pleraque alia) intelligi possunt. Quamquàm sine alijs magis apertis sacræ scripturæ locis, ad conuincendos hæreticos, minimum faciant, ut scribit Augustinus ad Vincentium donatistam.

Exo. 24. Heb. 9. Epist. 48.

Sednos in re hac habemus manifestũ Christi sermonẽ, ut appareat ueritas latens sub inuolucro allegoriæ,

unde putamus ipsos ritus mosaici testamenti fuisse non modò indicia mortis Christi, sed eius quoque mysterij quod instituit in cœna, post esum agni, cuius sanguis ad præscriptum legis fuerat effusus. Si enim solius mortis Christi essent indicia, frustra illud uideri posset adiectum, quod sanguis illorum animalium superfunderetur populis. Quo ritu intelligi potest, quod à Christo postea gestum est; quando corpus & sanguinem suum distribuit, & quo nunc fideles omnes asperguntur, quando salubriter communicant. Hæc si hæreticos non conuincant pie tamen fideles confirmant.

Multo uerò certius summa huius disputationis in ipsa Christi ordinatione resoluitur, Sic enim ait; Accipite & manducate; Hoc est corpus meum quod pro uobis tradetur; Hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur. Verba hæc plana sunt & lucida; ab eo tunc dicta, quādo statim morti appropinquabat, ut non sit uerisimile in re tanta uoluisse tropico uti sermone, qui uniuersam perturbaret ecclesiam. Nam uoluntas testatoris uidetur esse simpliciter interpretāda, ne ex equiuoco dißidia fiant in posteris. Et nemo unquàm ueterum patrum aliter intellexit uerba Christi, quàm post peracta mysteria, exhiberi uerum atque integrum corpus Christi. Dictio enim, indicatiua, Hoc, nihil aliud demonstrat, quàm corpus. Verbum substantiuum, Est, identitatem significat substantiæ; Corpus meum, uerum Christi corpus denotat.

Et ne

Et ne habeant ranæ istæ, quòd per inanes suas contentiones obstrepent, hæ relatiuæ clausulæ, quod pro uobis tradetur, & qui, pro uobis effundetur, luce clarius & irrefragabiliter ostendunt, Christum de uera sui corporis, & sanguinis præsentia, citra omnem tropum apertè loqui. Quandoquidem nec panis pro nobis traditus est, in cruce, nec uinum pro nobis effusum, Propterea, quod pro nobis est traditum, & pro nobis effusum, actum est in remißionem peccatorum nostrorum. Istud uerò nec pani, nec uino potest conuenire, sed corpori & sanguini Christi. Qui igitur credunt ijs simplicißimis Christi uerbis à uia ueritatis non possunt excidere, quia non potest ueritas mentiri.

De temerarijs Zuinglianis, qui Christi testamētum lacerant & dißipant. Cap. 11.

QVis uerò Demon reuelauit talpis istis sacramentarijs in uerbis Christi esse methaphoram, & nō uerū, sed Symbolicū esse sermonē? Quis (quæso) nisi male sanus ijs fidat, interpretantibus obscura, qui perturbāt, & obscurāt, quæ sunt clarißima? Hi (ueluti noctuæ) in tenebris uident, & in luce caligant; & cùm cæci sint, putant se uidere, & ignorantes quod uerum est, speciem dumtaxat scientiæ tenent, & gloriantur apud imperitos. Quæ superba dementia hos cœpit fanaticos delusores? qua audēt temeritate Christo aduer-

sari: ubi ille ait, Hoc est corpus meum, quod pro uobis tradetur. Hic sanguis meus, qui pro uobis effundetur, in remißionem peccatorum. Isti perfricta fronte, & erecta ceruice in faciem resistunt, ac se opponunt; dicentes, Non uerum est quod tu dicis Christe. Non hoc est, corpus tuum quod exhibes manducandũ. Neq; hic est sanguis tuus quem porrigis ad bibendum. Symbola sunt sola tui corporis & sanguinis. Re ipsa panis, & uinum sunt. Nos corpus tuum comedere, aut bibere sanguinem horrescimus. Nos neque humanis carnibus uescimur; neque sanguine hominum inebriamur. Immane scelus est. Barbarum est. Scithicum est istud facere, quod tua uerba prætendunt. Ideo sic loquenti non credimus. Quod nos edimus, panis est surfureus: & uinum de uitibus quod bibimus. Ista uero, tuum corpus & sanguinem repræsentant. Hoc sat est si credamus. Nos neque carnem tuam manducare, neq; tuum sanguinem bibere cupimus. Sed carnes uolucrum & quadrupedum optamus ad escam, & uinum ad satietatem & uomitum usq; desideramus. Hæc est istorũ peruersa contradictio, qui imprudentiæ & mendacij Christum arguere non uerentur.

Iob. 15 *Quibus congruit quod in libro Iob legimus. Arguitis uerbis eum qui non est æqualis uobis; & loquimini quod uobis non expedit. Quantum in uobis est, euacuastis timorem dei. Sic uos Christum reprehenditis, quibus eius uerba non placent. Sed aliter intelligẽda præ*

dicatis, ut eo uelitis esse prudentiores.

Propterea obsecro fideles, cauete ab ijs sicophantis, qui sua temeritate Christi uerba corrumpunt, atque cibum sue diuinæ carnis & sanguinis maledicunt. Vos simplicibus Christi uerbis credite: & ne pertimescite aliquod subire periculũ salutis uestræ, si simpliciter Christo credideritis. Optârim ego magis, malè loqui cum Christo (si fieri potest ut ueritas malè loquatur) quàm benè loqui cum symbolistis. An putatis in iudicio à Christo uos redargui quasi malè locutos, qui sic loquimini, sicut ille locutus est, & sic creditis sicut est locutus? Absit. In hac nostra fide, nullum subest falsum. Christus ueritas est. Quicquid loquitur uerũ est. Omnipotens est. Dixit, & factum est.

At dicent, Non modo esse loquendum, sicut Christus, sed multomagis intelligẽdum, sicut uult intelligi. Rectè sanè dicitis. Sed nos sensum Christi habemus, quem nobis annunciauerunt Apostoli, & eorum successores. Vos ab omni prorsus præcisi ueritate, sequimini somnia uestra, decepti per spiritum soporis & uertiginis. Quare expergiscimini tandẽ, & tropicas glosas Christo aduersantes, reicite, & Christo, qui est ueritas credite.

Quomodo ea quæ in Iohannis euangelio a Christo dicuntur deseruiant mysterio eucharistiæ. Cap. 12.

PRæter ea quæ diximus ex tribus euangelistis Mattheo, Marco, Luca, ad probandam ueritatem corporis & sanguinis Christi in eucharistia operepretium est uidere, quomodo ea quæ in Iohanne dicuntur à Christo, huic mysterio poßint conuenire. Sunt enim quidam, qui totum caput sextum Iohannis reijciunt, ut dicant, sed sola fide debere intelligi. Cōtra hos pugnat Cyrillus, Hylarius, Chrysostomus, & alij complures, & Græci, & latini, qui omnes ad sacrum mysterium pertinere affirmant, quos & nos sequimur. Paulo igitur altius euangelij uerba conspiciamus, ut appareat quomodo à corporali cibo, ad spiritualem alimoniam, & mysticum sacramentum discipulorum animos Christus reduxit.

Ioh. 6. Igitur cum pauisset Christus multitudinem magnā se sequētem, numero quasi quinq; millia, panibus quinque ordeaceis, absente tem secuti sunt, carnali affectu studentes ei carnalem exibere honorem: ut scilicet eum facerent regem: pollicentes sibiipsis rerum ubertatem, annonæ copiam, & cætera huius mundi commoda, quæ homines (ut in otio uiuant) solent appetere, Christus uerò illorum omnium sciens consilia, fugit ipse solus in montem. Sua fuga apertè docens, fugiendas huius seculi dignitates, simulq;, qualis ipse sit rex: nempè spiritualis, cuius quoq; regnum est spirituale in conscientijs. Huius regni ciuitates sunt, ueritas. Iustitia, pax, & uita æterna. Alimoniā quoq; oportet esse spiritua-

lis, uerbum dei; scripturã sacrã; fides; sacramentum sui corporis & sanguinis.

Tandem quum inuenissent eum trans mare, dixerunt ei, Rabbi quomodo huc uenisti? & quidem scientes eum pedibus transisse, & super mari ambulasse. Adulationis ergo; cupiunt ab eo audire. Respondit eis Iesus, & dixit, Amen, Amen dico uobis, quæritis me non quia uidistis signa, sed quia manducastis ex panibus & saturati estis. Hac responsione ostendit humanã se gloriam contẽnere, & eorum tantum salutis curam habere. Ideoqué paulò ásperius respondet, simulq; detegit occulta eorum, qui gulæ & uentris gratia ipsum quærebant. Modestius tamen eos coarguit, uolens illos ad altiora pellicere; Atq; hac occasione de triplici spetie panis; eos instruit, & á cibo quidem & pane corporali singulari quadam anagoga ad cœlestem & spiritualem panem transit. Quumq; iudei in mose gloriantes; manna datum in deserto, ad emulationem obijcerent, Christus dißimulans eorum ruditatem, non repræhensioni tantum immoratur, sed doctrinæ incumbit; paulatimq; dignatus est eos adducere ad sensum rerum spiritualium. Atq; illos erudit de cœlesti pane diuinæ uisionis; moxqué eis apperit se esse panem illum cœlestem, quem fide aprehendimus. Ita enim de se loquitur.

Amen Amen dico uobis non Moyses dedit uobis panem de cœlo, sed pater meus dat uobis panem de cœlo uerum. Panis enim uerus est, qui de cœlo descendit, &

dat uitam mundo. Ea quæ per Moysem gesta sunt non inania fuerunt, aut phãtastica; sed in figuram & typũ fuerunt eorũ, quæ per Christum gerenda erant. Ideoq; umbræ dicuntur, non ipsa ueritas. Cùm uerò illi Moysi meminissent, se Christus illi non contulit, neq; se adhuc illi præponit, paulatim eos alliciens. Quærentibus autem iudæis & dicentibus, Domine da nobis panem hunc, offert se Christus suscipiendum per fidem, & dicit; ego sum panis uitæ, qui uenit ad me non esuriet, & qui credit in me non sitiet in æternum. Iam in my-

Chry. steriorũ traditionẽ deuẽturus est. Inquit Chrysostomus, & primũ de diuinitate sua sic disputat. Ego sum panis uitæ. Neq; enim de corpore hoc dictum est, de quo circa finem inquit. Panis quem ego dabo, caro mea est. Quare hucusq; in hoc sermone offert se Christus in cibũ, qui per fidem recipitur. Sed in sequentibus cùm infert, panis quem ego dabo, caro mea est pro mũdi uita. Apertis uerbis, nullo enigmate obuolutis, de mysterio communionis sui corporis in eucharistia Christus loquitur, ueluti dicat, & si iam me offero recipiendum per fidem, futurum est tamen, ut me etiam mystico & diuino modo aliter recipiatis. Dum enim sic ait, quis non intelligat, aliam subesse panis rationem, quàm ea sit, quæ præsenti oblatione est per fidem? Huic nostræ expositioni lucem adfert, quod in græca lectione bis ponitur: dabo, & sic legitur, Panis quem ego dabo; caro mea est, quam ego dabo pro mundi uita.

Hic certè dominus promittit, panem se daturum, qui sit sua ipsius caro. Neq; de eo loquitur pane, de quo paulo ante tot millia hominum pauerat, sicut ex adiacentibus sententijs manifestum est.

Quòd ea quæ promissa hic sunt, suo ordine exhibita sunt in cœna domini. Cap. 13.

SI igitur locos scripturæ inquiramus; ubi nam Dñs præstiterit, quod hic promisit, cum ait, Panis quem ego dabo, & non dixit, quem do, non utiq; inueniemus, nisi in ipsa institutione, in cœna, quãdo porrexit panẽ, & dixit, accipite & comedite, Hoc est corpus meum, quod pro uobis tradetur. Nẽpe si nos diligẽtius cõsideremus, in ipsis uerbis duo promiserat se daturũ. Panis (inquit) quem ego dabo caro mea est, quam ego dabo pro mundi uita. Primum quod promisit est panis, qui est eius caro, quam daturus est eis ad manducandũ, scilicet in eucharistia. Alterum est quòd eandẽ carnẽ, dabit in cruce immolandam. scilicet pro mũdi uita. Quæ autem isthic promissa sunt, suo ordine adimplentur in sacra cœna, & in paßione, per hæc uerba. Accipite & comedite, Hoc est corpus meum quod pro uobis tradetur. Quæ ipsa duo complectuntur. Ecce ergo quam cõcinè, quæ data sunt, sponsioni conueniant. Et certè fidelis est dominus & implet promissa, quia uerax est, & omnis homo mendax. Quòd etsi non credunt Zuingliani, nunquid incredulitas eorum fidem dei euacuabit?

Ro.3. sicut de iudeis dicit Apostolus.

Relinquendi sunt isti inania garrientes, sicut iudei adinuicem litigantes, & dicentes, quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Non potest maledicis istis melius responsum ferri, quàm quod dominus retulit iudeis incredulis, Amen Amen (inquit) dico uobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet uitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouißimo die. Quod illi putabāt impoßibile fieri, Christus asserit esse necessarium, atqué horum rationem adijcit cùm ait, Caro mea ueré est cibus, & sanguis meus ueré est potus. Quia si quis digné hæc mysteria recipit neq; famem, neq; sitim spiritualē patietur, qualem patiuntur increduli. Nom enim hominis simpliciter

Cyril. sanguis est (ait Cyrillus) sed eius qui naturali uitæ coniunctus, uita effectus est. Propterea uere est cibus; id est ueré uiuificat, liberat, & spiritualiter nutrit; non ad tempus, sed in æternum; quia qui manducat (ait) meā carnem, & bibit meum sanguinē, in me manet, & ego in illo. Carnem quippé Christi manducare, & eius sanguinem bibere, est in Christo manere, & illum manentem in se habere, ut unum efficiamur cum eo, non obse-

Cyril. quio tantùm ac uoluntate uniti (inquit Cyrillus) sed naturali quoq; proprietate cōmunione carnis & sangui-

Chry. nis. Admiranda sunt hæc mysteria, dicit Chrysostomus,

ut non solum per dilectionem, sed re ipsa in illam carnem conuertamur, & per cibum id efficitur, quem nobis largitus est. Cùm enim suum in nos amorem indicare uellet, per corpus suum se nobis commiscuit, & in unum nobiscum redegit, ut corpus cũ capite uniretur. Hoc enim amantium maximè est. Hoc Iob significabat de seruis, à quibus maximè amabatur, qui suum amorẽ præ se ferentes dicebant, quis daret nobis, ut eius carnibus impleremur? Quod Christus fecit, ut maiori nos charitate adstringeret, & ut suum in nos ostẽderet desyderium: non se tantum uideri permittens, desyderantibus, sed & tangi, & manducari, & dentes carni suæ infigi, & desyderio sui omnes impleri. Parentes sæpe numerò liberos suos alijs alendos dederunt; Christus autem sua carne nos alit; nobis se exhibet, nobis se unit, spẽ nobis optimã præbens de futuris bonis. Qui in hac uita unum corpus nos facit & membra ex carne & oßibus eius. Hanc naturalem eius corporis unionem nobiscum esse asserit Hylarius, quam Christus longa serie sententiarum promittit, in synagoga docens in capernaum. Quam animalis homo prorsus non intelligit, sed cõtradicit, & aduersatur. Multi enim (inquit Iohannes) audientes ex discipulis eius dixerunt, durus est hic sermo, & quis potest eum audire? Cùm de rebus spiritualibus disputamus, nihil seculare esse debet in animis nostris, nihil terrenum. Sed multo silentio opus est, & admiratione multa. Non erãt ueri Christi discipuli, qui ex eius

Hom. 45. in Iob.

Iob. 31

Hyl. 8 de tri.

uerbis offenduntur. Nam si ueri fuissent, non utique recessissent ab eo, sed uerbis eius firmiter adhesissent, quod maxime discipulorum est proprium.

Sciens autem Iesus apud semetipsum, quia murmurabant de hoc discipuli eius, Dixit eis, Hoc uos scandalizat. Si ergo uideritis filium hominis ascendentem ubi erat prius; spiritus est qui uiuificat, caro non prodest quicquam. Sed sunt quidam ex uobis, qui non credunt. Hic certe uerborum contextus (præmissis ijs etiã quæ supra dicta sunt) tantã uim habet, ut nouos hos nostros, pariter & ueteres confundat Capernaitas, de diuina Christi omnipotentia diffidentes, & quæ carnalia sunt sapientes. Putabant enim se oportere crudam Christi carnem sic comedere, quemadmodum caro quæ uenit à lanio in macello. Sed non est hoc modo Christi caro laceranda, & in frusta concidenda. Manducatur reuera corpus Christi in eucharistia, sed admirabili quodam modo, quem non capit humanus intellectus. Quandoquidem non in carnem nostram conuertitur cibus ille cœlestis, sed ipsa caro Christi carnem nostram in se transmutat, & in diuinionem naturam admirabiliter trasformat, sicut Augustinus uisus est sibi, tanquam audiret uocem dei de excelso, Cibus sum grandium, cresce & manducabis me. Nec tu me mutabis in te, sicut cibũ carnis tuæ, Sed tu mutaberis in me. Hic ergo uerus est cibus & potus qui immortalitatem & uitam æternam præstat. Reliqua omnis caro, & omne

Aug. li.7. confes. ca.10.

quicquid comedis in tuam commutatur substantiam. Quod, etsi te nutriat & seruet, tamen sua propria qualitate naturæ(quæ reagendo patitur) corpus tuum præparat ad corruptionem & mortem. soli ligno uitæ quod in paradiso plantatum fuerat ab initio. Hæc proprietas concessa fuerat, ut sine corruptione uitam seruaret immortalem, si primus parens in obedientia dei perstitisset. Nobis autem caro Christi lignum est uitæ, quæ se comedentes facit æternos, & diuinæ uitæ consortes. Hanc diuinam uitam non appetunt Capernaitæ osores carnis Christi & sanguinis. Qui mysticam cœnam prophanant, & suum panem pollutum comedunt & uinum fæcatum bibunt de calicibus immundis. Hi Christo non adhærent, sed fugiunt ab eo, dicētes, durus est hic sermo. Nos credimus Christo dicenti, caro mea uere est cibus, & sanguis meus uere est potus; Et sicut sine ulla obscuritate sermonis cognoscimus Christum, & ecclesiam duos in carne una, ita mediatorem dei & hominum, hominem Christum Iesum, carnem suam nobis manducandam, bibendumque sanguinem dantem fideli corde atque ore suscipimus. & quamuis horribilius uideatur humanam carnem manducare, quàm perimere; & humanum sanguinem potare, quàm fundere, haud tamen dicimus, durus est hic sermo, quis eū potest audire? Quod Christus dixit, credimus cum catholica ecclesia & ascendētem, ubi erat prius uidimus ubi cum patre semper fuit æternus & omnipotens.

Aug. cōn. ad leg. li. 2. c. 9.

Hoc mysterium non intelligunt iudei & Zuingliani, & quomodo fiat inquirunt, non ut credant, sed ut calumnientur. Cap. 14.

EXemplum cœcitatis & ignorantiæ proponitur in iudeis quos imitati sunt Zuingliani, qui dictum Christi in carnalem intelligentiam uertunt, & dum nõ credunt statim ad uerbum incredulitatis profugiunt. Vox enim, quomodo (Chrysostomo) uox est incredulitatis. Vbi enim animum incredulitas occupauit, mox
Ioh. 3. uocem, quomodo per os emittit. Ita Nicodemus pertur-
Ioh 7. batus est inquirens, quomodo potest homo in uentrem
Ioh. 9. matris suæ iterato introire? & iudei ubi Christo, quomodo tu dicis, liberi eritis? & de cœco à natiuitate, quomodo aperti sunt tibi oculi? & quomodo tu dicis, opor-
Io. 12. tet exaltari filium hominis? Quicunque relicta recta uerbi intelligentia (quæ est per ecclesiam) suæ prudentiæ innititur, statim in barathrum cadit infidelitatis, sicut accidit symbolistis, qui ab ecclesia recedentes, infirmam plebem in cœcos errores implicuerunt, unde sese nequeunt explicare. Quod si certò statuerent Christi Iesu omnipotentiam, ab hac uoce incredulitatis abstinerent, in rebus enim quæ diuina uirtute fiunt, nimis temerarium est inquirere. Quomodo. Deus enim rerum omnium opifex est, sapientißimus. Ipse sibi sui operis est ratio. Alioqui liceat inquirere. Quomodo cœlũ creauit
Geñ. 1. & terram? Quomodo dixit, fiat lux? & facta est.

Quomodo diluuio orbem submersit, Noe seruato per ar Ge.7.
cham? Quomodo in serpentem mosaica uirga conuersa?
Quomodo lepra manus eius affecta, uno momento tem= exo.4
poris in pristinum statum rediit? & inde, Quomodo in exo.7.
naturam sanguinis aquæ transierunt? Quomodo per li=
gnum amaritudo aquarũ in dulcedinem recidit? Quo=
modo patres per media maria, ut per aridam effuge=
runt? Quomodo e lapide aquarum fontes fluebant?
Quomodo stetit Iordanis? Quomodo solo clamore in= exo.15
expugnabilis Hierico cecidit? Quomodo pluuia sicca nu.20.
terra in uellus descēdit, uel sicco uellere in terrã? Quo= Iosu.3.
modo superniatauit ferrum? Quomodo ignis de cœlo Iosu.6
descendit? Plura possemus hic commemorare, & in scri Iud.6.
pturis sanctis innumera sunt huiusmodi, quæ Iuliano & 4.reg.
Celso sunt ludicra, quorum tamen nõ possumus reddere 6.
rationem, nisi dei omnipotentiam opponamus, quæ or= 4.reg
dinem omnium creaturarum quando uult & quomodo 1.
uult immutare potest. Hoc igitur loco litigantibus iu=
deis, & quomodo inquirentibus rationem mysterij, sub=
indicat respõdendo, sua fieri omnipotentia, cum ait, hoc
uos scandalizat: Si ergo uideritis filium hominis ascen=
dentem ubi erat prius? Hæc uerba per aleosim à ca=
tholicis interpretantur, quæ dicitur idiomatum commu
nicatio.

Duas utiq; naturas in Christo comprehendimus sic
unitas, ut sint ypostasis una, quæ latinè persona dicitur.
Deus enim & homo unus est Christus, sicut anima ra=

tionalis & carò, unus est homo. Quæ similitudo ad unitatem tantum personæ referenda est, non ad modum unitatis. Diuina itaque & humana natura cùm sint unus Christus, ita sibi inuicem proprietates communicant, ut quod uni est proprium, alteri quoque ascribi poßit, licet per se ei non competat. Qua ratione dicere nō ueremur, Deum natum de uirgine, passum, mortuū, quia Christus qui Deus est, uerè passus est, & mortuus. Quanquā diuinati, pati non conuenit, nec mori. Ita pari iudicio rectè dicimus, filium hominis ascendisse, ubi prius erat: non ut humanam naturam Christi, priusquàm ex uirgine nasceretur in cœlo fuisse intelligatur, (impium enim est & prorsus hæreticum) Sed quia Christus qui filius hominis est, etiam priusq̄ nasceretur in carne, in cœlo fuit. Quod humanitati propriè non cōuenit, sed personæ, quemadmodum rectè dicimus, Deus homo est, & homo deus. Neque uerò omnino sine ratione Christus sic loquitur, non ut dubitationes dubitationibus annecteret, sed ut humo reptantes, humiles mentes ad altiorem suæ diuinitatis intelligentiam leuaret, eorum qui nudam Christi carnem manducandam opinabantur. Quam solam nihil prodesse continuo aperit dicens, Spiritus est qui uiuificat, caro non prodest quicquàm. Qua unica responsione, ora eorum obstruuntur, qui ueram Christi carnem diuinitati unitam in mystico conuiuio non admittunt. Sed uide quo fascino, & quibus præstigijs illuduntur. Quo enim erudiri

debent ad pietatem eo ad impietatem commouentur à furijs, & magis insaniunt.

Ex uerbis Christi, contra Christum pugnant hæretici, quorum stultitia arguitur. Cap. 15.

VErba Christi assumunt hæretici, contra Christum atq; eius ecclesiam, & uelùti iaculum quod sit ineuitabile retorquẽt in catholicos. Quid igitur (aiunt) Christi caro assumenda est in sacramento, si nõ prodest quicquàm? An putandum est proposuisse carnem suam manducandã, quam nihil prodesse profitetur? A page: absit. Hæc indigna (inquiunt) cogitare de Christo. Dicens enim, spiritus est qui uiuificat, caro non prodest quicquàm: omnem uim reijcit in spiritum, nihil carni reliquum facit. Quo fit, ut non sit fidei consonum, Christi carnẽ proponi ad mãducandũ, sed solo spiritu nos refici.
His nugis sycophantæ fucum faciũt uerbis Christi, & quia sæpius prætexunt Augustinum, quasi eis faueat, (Qui tamen totus est catholicus) eis ipse respondeat. Hic uir dei prius à Christo dicti reposcit intelligentiam, & ad eum couersus ait, o domine magister bone, quomodo caro non prodest quicquàm, cùm tu dixeris, Nisi quis manducauerit carnem meam, & biberit sanguinem meum, non habebit in se uitam? An uita non prodest quicquàm? & propter quid sumus, quod sumus, nisi habeamus uitam æternam, Aug.

quam tua carne promittis? Quid est ergo non prodest quicquàm, Caro non prodest quicquam? Sed quomodo illi intellexerũt. Carnem quippè sic intellexerunt, quomodo in cadauere dilaniatur, aut in macello uenditur, non quomodo spiritu uegetatur. Proindè sic dictum est, caro non prodest quicquàm, quomodo dictum est, scientia inflat. Iam ergo debemus odisse scientiam? absit. Et quid est scientia inflat? Sola sine charitate. Ideò adiunxit, charitas uerò ædificat. Adde ergo scientiæ charitatem, & utilis erit scientia, non per se, sed per charitatem. Sic & nunc caro non prodest quicquàm, sed sola caro. Accedat spiritus ad carnem, quomodo accedit charitas ad scientiam, & prodest plurimùm. Nam si caro nihil prodesset, uerbum non fieret caro, ut inhabitaret in nobis. In carne non esset passus ut nos redimeret, in ea certè passus est & mortuus, ut mundum redimeret uniuersum. In ea resurrexit, & ad cœlos ascendit. In ea sedet pro nobis, ad dexteram patris, & pro nobis intercedit.

Deindè si caro Christi nihil prodesset, eius sanguis
Matt. nihil etiam prodesset, de quo ipse ait. Hic est sanguis
26. meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in re=
Ro. 3. missionem peccatorum. Paulus quoq; dicit, quòd Deus
Act. posuit Christum propiciatorem per fidem in sanguine
20. ipsius. Idem quoq; (ut refert Lucas) in actis ait, Chri
stum acquisiuisse ecclesiam in suo sanguine, & Iohãnes
1. io. 2. testatur, sanguinẽ Christi mũdare nos ab omni peccato.

Huiusmodi testimonijs de corpore & sanguine Christi, undiq; scatet scriptura diuina. Nam & Petrus etiã 1.pe.2
sic ait, peccata nostra ipse portauit in corpore suo super lignum, & rursum paulus. In qua uoluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel. heb.9.

Quare utrumq; uerum est; caro non prodest quicquàm, & caro prodest plurimùm ad uitam, si utrumq; rectè intelligatur, quia sine spiritu nihil prodest caro, quæ cum spiritu, largitur nobis æternam uitam. Caro itaq; Christi, quam nobis in mysterio dat manducandam, non nuda caro est, & mortua, sed uiua & deitati unita. Et ne alienam uideamur produxisse sentẽtiam, quod dicimus, Christus ipse manifeste declarat, cùm subdit; uerba quæ locutus sum uobis spiritus & uita sunt, idest, ne putaueritis uos manducaturos carnem meam ueluti carnem brutorum quæ non nisi occisa manducatur, & ea sine spiritu est, quandoquidem mea caro, spiritu uegetatur, & est diuinitati unita. Quare addubitandum non est habere uim uiuificam, quia mea est, mea (inquam) cum qua semper ad dexteram patris sedeo. Vestras ergo abijcite ratiões, quia uerba mea nullam habẽt naturalem consequẽtiam, sed omni hac terrena neccessitate, & huius uitæ legibus sunt libera. Est & alius sensus ex Chrysostomo, sicut in hoc loco spiritus pro spiritualibus posuit ita cùm carnẽ dicit, non pro carnalibus, sed pro carnaliter audire eos significet. chrys.

Quid igitur, caro non prodest quicquàm? non de ipsa carne dicit, sed de his qui carnaliter accipiunt, nequé aliud quippiam excogitant, spiritualium bonorum.

Non negant Hæretici Christum spiritualiter adesse suo mysterio, sed carnem abesse fallaciter paralogizant. Cap. 16.

hæretici op=po. SEd cum sic dicimus, uidemur fauere aduersarijs, qui telum in nos, reijciunt. Hoc est (inquiunt) quod nos dicimus, quia Christi uerba non carnaliter, sed spiritualiter esse intelligenda prædicamus, & haud negamus adesse Christum spiritualiter suo sacramẽto per corpus

rñsio. & sanguinem. Audite lucifugæ, qui tenebras offunditis. An putatis uili hoc paliolo uestra tegere pudenda: uos nunc interrogo, quia uerba uestra captiosa sunt. Quomodo dicitis spiritualiter adesse per suũ corpus & sanguinem, & non carnaliter? an quod Christus quidẽ, per suũ spiritum adsit, sed non adesse corpus & sanguinem? An quod spirituali quodã admirãdo ac diuino modo, adsit corpus Christi, qui longè transcendat omnẽ humanam sapientiam? Si hoc modo (qui nunc est dictus) uerba Christi interpretamini, cum catholicis rectè sentitis; & hac in parte nos nõ reijcimus. Sed hæc mens uestra non est quia reliqua quæ dicitis cũ hac expositione non consentiũt, sed uestras fallacias apperiunt. Vos fallaces estis; & fictis uerbis latibula quæritis. Dein le=

queos tẽditis, ut perdatis incautos. Os uestrum eas uoces promit, quæ fideles loquuntur, sed uestra mens non concordat cum eis. Vos in schismate estis, & semper schisma molimini, & non modo à Christi corpore sua mẽbra idest, electos (si fieri potest) separare nitimini, sed in ipso quoq; naturali Christi corpore diuisionem facere non erubescitis, cùm eius carnem & sanguinem, à spiritu separatis, dicentes, Carne & sanguine Christum abesse, & adesse spiritu. Nec illud uobis suffragari quoquo modo potest, quod quidam solent dicere, Non esse statim consequens, humanitatem Christi ubiquè esse, si eius Diuinitas ubiq; sit, quasi fieri poßit, ut Christus per eius spiritum diuinitatis, suo adsit mysterio, & nõ per carnem; & pro uestro schismate citatis Augustinum in epistola ad dardanũ, qui sic scribit in fine epistolæ, Christum autem dominum nostrum unigenitum dei filium, æqualem patri, eundemq́; hominis filium quo maior est pater: & ubiq; totum præsentem esse non dubites, tanquàm deum; & in eodem templo dei esse, tanquàm inhabitantem deum, & in loco aliquo cœli propter ueri corporis modum. Sic Augustinus. Vestra igitur ratio, qua negatis præsentiam carnis Christi in suo mysterio, habet ouillam quidem pellem, & pallium ueritatis; sub quibus tamen, Lupus latitat & mendaciũ. Neq; Augustinus (cui sæpe uim facitis ad uestrum schisma) id quod nos hic nunc agimus, inquirit, in ea quam citastis epistola, ipse nempè; uelitis, nolitis, de corporea Christi

Aug. Epistolu. 57.

præsentia in sacramento nobiscum sentit. Esto, non statim consequi, quod dicimus, atq; fieri posse, ut non ubi Christi diuinitas ibidem, sit humanitas, nunquid proptereà negandum est, uerba Christi uera esse, quibus corpus suum & sanguinem in eucharistia adesse monstrauit? Imo, si quis uerba Augustini æquiùs ponderet in ea epistola, nostram magis uidetur confirmare sententiam. Qui ubiq; totum Christum esse præsentem nõ dubitat. Licet huius ratio, sit diuinitas, & totus Christus est deus & homo. Constat autem homo, ex anima, carne, & sanguine, quæ uos a sacro mysterio reijcitis, & sola symbola esse dicitis: cùmque Christus dicat, qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo; uos symbolistæ, qui horrescitis Christi carnem manducare, & bibere sanguinem, sed symbola tantum suscipitis, consequens est, quod nec in Christo manetis, nec christus in uobis. Ideoquè manetis in symbolis, & symbola in uobis. Non uos pudet insaniæ uestræ? erubescite tandem, & pollutum uestrum panem in cœnis uestris proijcite, & recipite inhabitantem Christum in uobis, per sacrum mysteriũ. Hactênus testimonio quattuor euangelistarum conuincimini iniquam uos causam suscepisse; quæ cum uerbis Christi nõ potest subsistere. Quòd si tanta testimonia quæ protulimus, uos uestri erroris non redarguant, audite beatum apostolum uerum Christi interpretem, quantis rationibus impium uestrum dogma condemnat.

Verùm Christi corpus exhiberi in cœna probatur per apostolum. Cap. 17.

PRimum igitur discutiamus illud dictum.b.aposto= li, Calix benedictionis cui benedicimus, nonne cō= 1.cor.
municatio sanguinis Christi est? Et panis quem frangi= 10.
mus, nonne participatio corporis domini est? Quoniam unus panis, & unū corpus multi sumus, omnes qui de uno pane, & de uno calice participamus. Sic apostolus.

Atq; hic quidem, in calice, tropum fatentur intelli= gi, neq; omninò tropicas locutiones reijcimus, ubi ma= ximè opus est, & communis sensus nos cogat, ueluti hoc loco, ubi notissimum est per metonymiam accipi debe= re, continens pro contento, Est qué sensus, Calix bene= dictionis cui benedicimus, idest quod in calice est, post sacram benedictionem, quid est aliud, nisi communica= tio sanguinis Christi, idest sanguis Christi communica= tus? Non dicit apostolus, significat communicationem: sed est communicatio, quia uerus Iesu Christi sanguis theop.
communicatur. Sicut hoc loco theophilactus exponit, dicens, quod autem dicit apostolus, tale est, sanguis iste, qui in calice, cōtinetur. Ille est qui Christi e latere pro= fluxit. Hunc ipsi cùm sumimus participamus hoc est, Christo coniungimur. Et panis quem frangimus, Nonne participatio corporis domini est? Panis uerò fra ctio, methaphorica quoqué magis est locutio quàm uera. Non enim corpus Christi frangitur (quod sem=

per integrum manet) Sed panis species diuiditur in partes. Ideo hic sensus est, Corpus Christi quod sub diuisa panis specie sumimus, nonne ostendit nos esse participes corporis Christi? Non dixit fractionē panis significare communionem corporis Christi, sed esse.

Nam si fractio panis tantū significat communicationem corporis Christi, quæro, Hoc corpus Christi aut uerum est corpus, aut mysticū: si uerum, id iam nos habemus quod uolumus, uidelicet quòd, panis fractus, est uerum & naturale corpus cōmunicatū. Si mysticū, cōstat nempè, corpus Christi mysticum, esse ecclesiā. Sed quis (nisi male sanus) admittat quod panis fractio, sit cōmunicatio corporis ecclesiæ? quòd si mordicus id asseuerēt, insanæ mētis homines, id dubio procul etiā cogūtur admittere, quòd calix benedictiōis sit cōmunicatio sanguinis ecclesiæ. Quo nihil ineptius dici potest. Non enim est ecclesia corpus, quod distribuatur aut sanguis qui cōmunicatur, sed ipsa est cui corpus & sanguis Christi cōmunicatur. Quare necesse est, ut in uerbis apostoli intelligatur, uerum Christi corpus, & uerus sanguis distribui. Illud uerò quod sequitur, cùm ait, quoniam unus panis & unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane, & de uno calice participamus. Sic prorsus etiam est intelligendū, ut panem hic dicat corpus Christi uerum, non mysticū, Aliud enim est quod sumus, &
1.cor. aliud quo participamus. Nam in Christo Iesu, unū cor-
14. pus sumus mysticū: sed uerò Christi corpori participes

sumus. Neq; uerò uel sic etiam intelligi potest, quod de uno pane ex granis confecto possit intelligi, cùm dicit nos participare de uno pane. Nullus enim unus panis furfureus est, quem unum omnes sumimus. Nisi unus panis, uiuus Iesus Christus, quem cùm sumimus, unum corpus cum eo efficimur, quomodo ecclesia unum corpus Christi est. Ex uno enim diuus Paulus transit ad aliud, cùm de utroque simul ea quæ dicit nequeant intelligi. Non possunt igitur aduersarij, pro suo peruerso dogmate, hoc dicto Pauli muniri. Quinimo eo solo consternantur & pereunt, sicut & quidam illorum (posteà quàm resipuerunt) in suis scriptis reliquerunt. Nunc reliqua argumenta ex apostolo uideamus.

Quòd idem argumentum tractat apostolus pluribus modis & de subortis contẽtionibus inter Corinthios. Cap. 18.

Contentiones quæ erant in ecclesia sub temporibus apostolorum studet apostolus reuocare ad cõcordiam, præsertim quæ subortæ erant de sacro Christi mysterio. Nulla autem commodior conciliandæ pacis ratio comperta est, quàm quòd menti sæpius reduceretur, prima ipsius mysterij institutio, quæ à Christo facta est. Ea enim sola sufficit ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendũ in iustitia, ut perfectus sit homo dei ad omne opus bonum instructus, & 2.thim 3.

quam si aduersarij (christianæ pacis perturbatores) diligentius humiliter perspecxissent, non tantas mouissent tragædias, & tantos tumultus excitassent. Quare opportunum tempus est, ut discamus ab apostolo. Ego enim (inquit) accepi à domino, quod & tra-
1.cor. *didi uobis, quoniam dominus Iesus in qua nocte trade-*
11. *batur, accepit panem; & gratias agens fregit, & dixit; accipite, & manducate; hoc est corpus meum quod pro uobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquàm cœnauit dicens & usqué cum hoc mundo damnemur.*

Instituerat dubio procul apostolus corinthios in recto & integro usu sumendæ eucharistiæ, nō ueluti sua, sed quam acceperat à domino traditione, à qua illi iam defecerant, & quod erat præcipuum, reliquerāt. Nempe unitatem & debitam rerum cum pauperibus communionem. Nam quòd attinet ad participationem sacri mysterij; nulla dignitatum differentia, nulla præstantia; nequé ulla prærogatiua, esse debet. Quoniam
1.cor. *sicut in uno spiritu (ut inquit apostolus) baptizati su-*
12. *mus in unum corpus, siue iudei, siue gentiles, siue serui, siue liberi, ut nulla sit gentium, aut sexuum differentia, ita in uno spiritu, & cibati & potati sumus in unū corpus,*

Ideo fideles, qui primi crediderunt per apostolos, hoc unitatis christianæ uinculo magis erant astricti & in communi omnia possidentes, uitam habebant commu-

nem,in cibo,potu, uestitu. Postea uero ab hac rerum communione tepescentes,contigit alios quidem pauperes esse,alios uero diuites. Verumtamen non statim simul uinculum charitatis deperijt,sed institutis quibusdam diebus,communes mensas decenter faciebant, atq; post mysteriorum (scilicet corporis & sanguinis Christi) communionem,omnes ad commune epulum conueniebant. Itaque cibi per ditiores & sumptuosos afferebantur. Pauperes uero,& qui nihil possidebant, uocabantur ab illis, & communi charitatis amore discumbebant. Hæc tamen optima & laudatissima christiani uinculi consuetudo, procedente quoque tempore, abolita est. Quod ab ipsis quidem Corinthijs cœptum,uideri potest;qui pauperes spernebãt,dum priuatas,cœnas facerent,& contemnerent ecclesiæ unitatem, qua de re,dissidia,contentiones & inuidias serebant. Ideoq; plura præter decorum in tanto mysterio celebrando faciebant,quæ (prohdolor) utinam hisce nostris temporibus non magis indigna fierent,quum & immundi sacerdotes & populus ferè uniuersus ad sacrum Christi mysterium,ueluti rem omnium prophanissimam acturi impurissimè accedunt,ut potior pars prorsus ignoret, quanam ratione accedendum sit ad percipiendum tam stupendum sacramentum. Quinimo ut cœnosæ sues ad haras, ita ij turpiter ad sacram aram concurrunt,adeo confusè & contentiosè,sine delectu,mysteria peraguntur,Sacerdotes quorum est plebem admonere, optima

queq; aboleri paßi sunt, & solis suis cupiditatibus inuigilant; & quod pro salute animarum salubriter à Christo est institutum, id totum, in sordidißimas negotiationes (sacerdotum auaritia) est reuolutum. Nouit *hic prudens lector, quæ dici poßint in malos mores, qui irrepserunt in ecclesiam ob eorum socordiam, quorum est gregis Christi reddere rationem. Sed hæc deploranda sunt magis quàm memoranda, quod minima sit spes emendationis, præsertim hoc tẽpore. Quòd si in solos abusus sacri mysterij inuecti essent hæretici, nõ facilè iuueniri posset, quomodo redarguerentur. Sed ab umbra prosilierunt ad carnem, à malis scilicet moribus sacerdotum, qui redargui possunt, ad sacrum mysterium prophanandum, quod oportuit remanere intactum, quia mali mores, rei sacræ substantiam non auferunt: licet fideles à recta religione abstrahunt & inficiunt.* Haùd *mirum igitur, si refrigescente Christi dilectione, & fide, plura sint oborta abhominanda in ecclesia: cum & in ipso principio nascentis ecclesiæ, tot essent contentiones & pugnæ, quàmuis nullibi legas indecora magis accidisse quàm ubi hoc cœleste mysterium contigit obseruari.* Ibi *enim scissuras legimus, & hæreses.* Ibi *contentiones & pugnas.* Ibi *præsumptiones & confusiones.*
1.cor. *Hæc certè omnia commemorat apostolus Christi.* A*u-*
11. *dio (inquit) inter uos scissuras esse, & oportet hæreses esse, & reliqua quæ commemorauimus, quæ dixit esse*

contra consuetudinem ecclesiæ, quæ est uerè pacifica. Quid igitur mirandum, si talia fiant nunc in ecclesia. Videas porrò quando conuenit populus ad celebrationem mysterij magnos tumultus excitari, præsertim quãdo lustrationes fiunt, sicut in die solemni dicato pro corpore Christi. Quot seditiões? Quot schismata? Quot sectæ. Vnus enim alterum præcellere cupit, ut si hic, anterior fuerit, alter fieri posterior dedignetur. Hinc pugnatum est de societatibus præferendis, de gestandis luminibus, & hastis tentorij, & (quod est magis abominandum) de ipso quoqué corpore Christi circumferendo, non parua inter parochos fit dissentio, ut quandoqué cessatum sit a lustro circulari, non quòd hæc res magnificienda sit, quæ est libera, sed quòd inuidias & odia ferat, ut melius sit ab huiusmodi abstinere quam irreligiose circuire. Obseruatos ritus ab ecclesia non damno, sed modum adhiberi, (pro sorte mea) requiro. Longiùs quàm putaram à scopo deflexi. Nunc ad apostolum redeo.

Quod Christus fecit in cœna, id in ecclesia præcepit fieri, ut omninò idem sit, quod & facit hodiè sacerdos, ex Chrysostomo, Cypriano, Ireneo. Cap. 19.

QVum rectã Christi institutionẽ. b. Paulus enarrat cũ cæteris euangelistis admirandã doctrinæ consonãtiã seruat, & aliquid præterea addit, quod

proculdubio factum fuisse non est ambigendum. Illud scilicet, quod à Christo dictum est post reliqua, hoc facite in meam commemorationē. Quæ elocutionis pars, si penitus esset obmissa frigere uideretur nostra cōtentio, ad conuincendos aduersarios, qui dicunt, nusquam dominum præcepisse sua uerba repeti ad conficienda mysteria, quo (reuera admisso) tota perijt huius sacramenti firmitas in ecclesia. Nam si dominus noluit sua uerba repeti, quomodo igitur fiet, consecratio corporis & sanguinis eius? Non enim aliter id fieri credimus, nisi dum uerba Christi repetuntur. Quod faciendum ipse præcepit qui ait, Hoc facite in meam commemorationem. Cùm enim sic præscripsit Christus, uult nos omnia, & facere, & dicere, quæ ad mysterij huius pertinent summam. Quod apertißimè paulus ostendit, cum se à domino asserit accepisse, quod Corinthijs tradiderat, & non modo à Christo facta, sed quoquè dicta recenset.

Dominus (inquit apostolus) in qua nocte tradebatur, accipiens panem, fregit & dixit & cæ era. Quapropter quum ait Dominus, Hoc facite in meam commemorationem, illud ipsum fieri præcipit, quod ipse fecit. Voluitq; ipsum usum non tantùm eo tempore seruari, quo uisibiliter cū discipulis accombebat. Sed usquê in finem sęculi uoluit esse perpetuum. Vnde apostolus ait, quotienscunq; manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem domini annūciabitis donec ueniat.

Quare in sacris tandiu perseuerandum est, donec do- dominus in suo aduentu reueletur.

Itaqué sacerdos, dum offert & sacrat, idipsum omninò facit, quod ipse fecit Christus uel ut uerius loquar, quod tunc in cœna fecit Christus, idipsum etiam nunc in sacerdote operatur. Hunc uerò dicendi modum, docet Chrysostomus, quum de re hac admiranda loquitur, homilia secunda, in epistolam secundam ad Timotheum. *chrys.* *Volo (inquit) adijcere, planè mirabile, et nolite mirari neq; turbemini. Quid uerò illud est? Sacra ipsa oblatio, siue illam Petrus, siue illam Paulus; siue cuiusuis meriti sacerdos offerat, eadem est quam dedit Christus ipse discipulis, quamq; sacerdotes modo conficiunt. Nihil habet ista, quàm illa minus. Cur id? quia non hanc sanctificant homines, sed Christus, qui illam ante sacrauerat. Quemadmodum enim uerba, quæ locutus est Christus, eadem sunt, quæ sacerdotes nunc quoq; pronunciant, ita & oblatio eadem est. Et hoc igitur Christi corpus, & illud est. Qui autem hoc illo minus aliquid habere putat, ignorat Christum esse, qui nunc etiã adest atqué operatur. Cyprianus quoq;, libro secundo, epistola tertia, infit. Nam si iesus Christus dominus & deus noster, ipse est summus sacerdos dei patris, & sacrificium deo patri ipse primus obtulit, & hoc fieri in sui commemoratione præcepit, utiq; ille sacerdos uice Christi uerè fungitur, qui id quod Christus fecit imitatur, & sacrificium uerum & plenum tunc offert in*

ecclesia deo patri, si sic incipiat offerre, secundum quod ipsum Christum uideat obtulisse.

Ireneus.lib. 4.ca. 32. Ireneus etiam, libro quarto, capite trigesimo secūdo, Hunc ritum, quo utimur in ecclesia docet ab apostolis prouenisse. Accipiens (inquit) panem quæ ex creatura est, & gratias agens, dixit, Hoc est corpus meum. Et calicem similiter, qui est ex ea creatura, quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est, & noui testamenti, nouam docuit oblationem. Quam ecclesia ab apostolis accipiens, in uniuerso mundo offert deo. Sic Ireneus. In utriusqué igitur uerbis, Christi scilicet & sacerdotis, adest ipse Christus cuius uirtute proposita consecrantur, quia ipse dixit & facta sunt, mandauit & creata sunt. Qui enim conditis creaturis uim procreationis contulit dicens, crescite & multiplicamini, atqué ea propagandi potestas, per id, quod semel à deo dicitur esse prolatum, semper in natura perseuerat, dum præscriptus à deo ordo seruatur, ita consecrandi potestas sacerdotibus collata est ea uerborum prolatione, quæ à Christo profecta ad finem usqué seculi, ad eius præscripta decreta integré seruatur, ut non minus id fit, quod facit sacerdos, quàm quod ipse fecit Christus. Cessent igitur illudere ac maledicere Christi sacerdotibus aduersarij uiri improbi. Qui ueros, Christi mynistros contumeliæ causa, sacrificulos, unctos, Christi edones, & id genus uocitant, in opprobium Christi, atqué diuinæ eius institutionis, quàm à

domino Paulus accipiens obseruandam nobis tradidit, & sacramenti quoqué formam expreßit.

De uerbis Christi, atqué de subdola & ridenda eorũdem fuga, qui uerba Christi subuertere non uerentur. Cap. 20.

APostolus non ab re sacri mysterij uerba ea forma producit, quæ per omnia cum cæteris conuenit euangelistis, ut liquidò appareat uerum corpus Christi esse, quod in ecclesia ministratur. Sic enim ait Dominũ dixisse, Accipite & comedite, Hoc est corpus meum. Cuius dicti ratio abundè satis à nobis expressa est. Porrò ex ijs quidam, qui naturale Christi corpus in eucharistia negant ministrari, quum se omninò argumentorũ nodis sentiunt alligari, ut uix poßint effugere, foueas tamen & rimulas quæritant, & in abditißimas tenebras sese recipiũt, & ueluti cæci, sine rubore erubescenda, sine ratione proponunt. Quãquàm uerò uerba Christi sine tropica ulla significatione suscipiunt. haud tamen cogi se putant, ut credant uerum Christi corpus uel apostolis per Christum, uel nobis per sacerdotes ministrari, sed solum paném. Nam panem (inquiunt) solum in cœna porrexit, manu una, dicens, Accipite & manducate panẽ scilicet, altera uerò super pectus apposita, se recũbentem monstrauit, dicens, Hoc est corpus meũ, quod pro uobis tradetur. Et hoc diuerticulo isti uiri

letargici putant uim omnem effugere catholicarum rationum. O impudentem hominum insaniam. Quis hos capere queat retibus fidei. Qui ueluti uulpes fraudulentæ, in sinuosas & ancipites cauernas sese recipiũt. Aut quibus locis scripturæ conuinci poterunt, qui cùm se in conscientijs conuictos probè intelligant, impudenti facie, non hominum uoce, sed gannitu uulpium ridiculosè respondent, ut nec quid loquantur intelligant,
2.thi.1 nec de quibus affirmant? Quid non audent homines semel amisso pudore, præsertim ij qui dirrupto iugo ecclesiasticæ disciplinæ, per sua somnia uagari proponunt, nec homines uerentes nec deum? Hi non secus faciũt ac rapidum flumen post maximum aquarum cataclysmũ, quod si semel repagula dirruperit, huc illuc præceps què ruit. Ita ij perdito semel omni ratiõis iudicio, quicquid in buccã uenerit præcipitãter effutiũt; Nec perpendunt an cum præcedentibus, sequentibusúe Christi uerbis cohæreat, & an quod dicunt subsistere poßit.

Quamuis uerò istorum error manifestus est, sunt tamen qui his credant, adeò nulla hæresis est, tam stolida, quæ suos non habeat asseclas, & deffensores. Propter hos igitur ostendemus nihil esse hoc freneticornm aufugium, quod ex ipsa uerborum serie exploditur. Accepit (inquit apostolus) Iesus panem, & gratias agens, fregit, & dixit; accipite & manducate; Hoc est corpus meum, quod pro uobis tradetur. Quis nisi mẽtis inops, ex hac uerborum connexione aliam sententiam queat ellicere,

ellicere quàm quòd Christus corpus suum porrectum tradidit discipulis in manducandum? Alioqui dissuta sunt uerba, nec colligi possunt. Id ex sequentibus etiam magis apparet, eò quòd statim ait. Hoc facite in mei commemorationem. Dicite (quæso) furiosi, quid sibi uult Christus his uerbis? An quòd dum uos uestris uiris euangelicis, in uestris cœnis uestrum prophanum panem porrigitis, manu una, altera quoq; ad pectus apposita, dicatis accipite, & hoc est corpus meum, atq; hoc modo commemorationem mortis Christi facitis? Quis unquàm patrum sic fecit, aut docuit esse faciendum? Si sic egit Christus, & fieri præcepit, certè peccarunt, qui hoc Christi factum neglexerunt. Vos uerò Belli homines nuper e cœlo delapsi, hanc doctrinam Christi operis a seculis absconditam, reduxistis. Ironicos.

Sed quid dicturi estis de mysterio sanguinis, quem bibendum quoquè porrexit? An dicturi estis, non suum sanguinem dedisse in poculum, sed uinum, sanguinē uerò suum manu quoquè apposita ostendisse? At clarissima Christi uerba impudentissimū os uestrum obstruunt, nisi nec sic erubescitis, quia estis effrontes. Quæ igitur præcedunt, & quæ sequuntur, nihil ei quod gannitis & improbe iactatis possunt adaptari. Quinimo refragantur maximè & toto cœlo repugnant. Sic enim ait Marchus; & accepto calice gratias agens dedit eis, Mar. & biberunt ex eo omnes; & ait illis, Hic est sanguis 14. meus noui testamenti, qui pro multis effundetur. Quo-

modo fieri potuit ut suum sanguinem demonstraret? An nonne apparet suum sanguinem dedisse, non quomodo recombebat in mensa, sed quomodo in mysterio porrigebat in calice? Alioqui, si posita manu ad pectus de suo corpore loqueretur, ut prædicitis, hic certe sensus esset, comedite uos discipuli, hoc corpus meū quod uidetis, & recōbentem me uobiscū more aliorum ciborū decerpite & laniate. Et cum de sanguine loquitur, sic pariter dixisset, hunc sanguinē meum laniate & dissecto corpore lambite & bibite. Non sic, nō sic (inquā) loquitur Christus, sed sic ait, ut supradiximus. Quo fit, ut sermo Christi oēs uestras nenias & inania somnia penitus obruat & subuertat. Dicet quispiam, num uerū suum corpus, & uerum sanguinē dedit? Ita maxime, sed in mysterio sub inuolucro scilicet accidentiū panis & uini, ubi non ipsius substantiæ corporis & sanguinis fit diuisio, sed accidētium dūtaxat partium fit separatio. Quare dari uerum corpus & sanguinem in eucharistia (testificantibus euangelistis, & paulo) nemo Christianus ambigere potest, quod ex Christi uerbis sæpe repetitis adparet.

Quod alijs argumentis ex .b. Apostolo probatur præsentia corporis Christi in eucharistia. Cap. 21.

INsuper in eo Apostoli loco quem produximus, alijs multis argumētis demonstratur uerū Christi corpus nobis tradi in mysterio. Primum, quum subsequēter ad

prædicta sic ait. Itaq; quicunq; mãducauerit panẽ hũc, & biberit calicẽ domini indignè, reus erit corporis & sanguinis domini. Attende lector ne cùm hic panẽ audis, panem credas esse furfureum, qui prius fuit, sed credas, uiuum panem esse cœlestem. Qui enim indignè cõmunem hunc panem comedit, reus quidem est, quia temporale dei beneficium non intelligit, atq; non deo gratias agit, uerumtamen nõ reus dicitur corporis & sanguinis dñi, sicut de hoc pane cœlesti dicit Apostolus. Nec sic etiã dicit, reus erit tãquàm corporis & sanguinis, ut nugacibus faueat symbolistis, sed ait, reus erit corporis & sanguinis, ut utrũq; simul adesse sua probet autoritate; uerũ scilicet corpus & uerũ sanguinẽ ministrari, Quæ qui indignè sumpserit reus efficitur.

Deinde nostram sententiam præsentiæ Christi in eucharistia monstrãt quæ sequũtur; Probet aũt (inquit) seipsũ homo, & sic de pane illo edat & de calice bibat. Quandoquidẽ, cur tantã cõscientiæ probationẽ Paulus exigeret, si symbolicus tantũ panis quo quotidie ad corporis nutrimentũ uescimur, adesset? Hunc certè panem furfureũ, ab illo pane cœlesti emphaticè discreuit cũ ait de pane illo, quem necesse est talem esse, quo quisquis uescatur indignè, iudiciũ sibi manducat & uinum quoq; oportet tale esse, ut qui indignè biberit, sibi bibat ad iudicium, Quia nõ diiudicat corpus, domini (inquit apostolus) tota enim ratio eius iudicij est, quoniam ad illud corpus manducandum, ueluti ad communẽ mensam

accedit. Nihil pluris se putans accipere quàm terrenū panem, uescendi & nutriendi corporis gratia; uel ut
Atha. Athanasius interpretatur; Non dijudicans corpus domini. Hoc est, nil prius disquirens, uel internoscēs præsentis mysterij magnitudinem. Nam si certiores essemus, (ait) quisnam & quantus sit ille, qui nobis in conspectu adiacet, nulla ferme rei alterius ope indigeremus, sed solus ille, & continentiam nobis, & uigilantiam compararet. Ex hoc dicto Athanasii apparet, quid de hoc mysterio senserit. Cuius sententiam penè ijsdem
Chry. uerbis sequuntur Chrysostomus & œcumenius, ut om-
œcu. nium iudicio confundantur impij symbolistæ, quos etiā conuincit apostolus, qui non sic ait, non dijudicans figuram corporis domini, sed corpus domini (inquit) isthic præsens. Alioqui dijudicationis uerbum inutile prorsus esset & inane, nec magni aliquid dixisset apostolus, qui sua grandi autoritate immundos à cœna domini deterrebat.

Deniquè opera & effectus eorum qui indignè ad hoc diuinum mysteriū accedunt, rem propositam ostendunt; eum morbos & mortem ipsorum exprimit, ut intelligāt ideo se graui pœna percussos, quòd indignè & peccatis obnoxij tantū mysteriū attigerint, ut uel terrore cōcussi, non nisi ritè explorati accederēt. Sic enim ait, ideo inter uos multi infirmi & imbecilles, & dor-
1. cor. miūt multi. Quod si nos metipsos dijudicaremus non
11. utiq; iudicaremur dū iudicamur aūt a dño corripimur.

Quo fuco hæretici simplices decipiant & indignè communicantibus æternæ damnationis impunitatem promittunt. Cap. 22.

INmundi symbolistæ omne laxantes frenum ad omnes fœditates & immundicias, nullo facto examine conscientiæ, nulla per[illegible] confeßione peccatorũ, sordidos & impuros in contumeliã Christi corporis, omnes suos eruditores uocant ad cœnam dominicam, & quo poßint plures decipere, & abducere post se ad interitum & perditionẽ, ipsis indignè accedẽtibus impunitatem promittunt æternæ damnationis; & sicut cæteras omnes peruertunt scripturas, ita hunc locum .b. Pauli turpißimè fœdant, dicentes, non de pœna uel iudicio æternæ damnationis intelligi, sed de temporanea, quam dederunt, Corinthij, qui imperfecta fide panem manducarunt, non plenè credentes. Atqui hoc suum commentũ per sequentia uerba communiunt. Sic enim ait paulus, quod si nosmetipsos dijudicaremus, non utiq; iudicaremur: dum iudicamur autem à domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur. Ecce (inquiunt) apostolus morborum & mortis afflictiones, quibus iudicari à domino dicimur, ipse uocat admonitiones magis quàm damnationes, medicinas, quàm supplicia, correctiones, quàm pœnas.

His ergo fucis uiri subdoli simplicibus imponunt, de quibus sic Petrus ait, hi sunt fontes sine aqua, & nebu= 2.pe.2

le turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reseruatur. Superba enim uanitatis loquentes, pelliciũt in desiderijs carnis luxuriæ eos, qui paululum effugiunt, qui in errore conuersantur, libertatem illis promittentes, cùm ipsi serui sint corruptionis. Nullo penicillo magis possunt suis coloribus depingi hæretici, quã hoc Petri apostolorum uerticis dicto. Quia solent isti apostatæ non sua modo damnatione contenti esse nisi alios quoq; ad interitum prouocent, sub spe promisse ab eis, impunitatis; & quæ de minis æterni supplicij produntur in scripturis, mitius (ad fauorem imprudentium conciliandum) exponere satagunt. Et præsertim hunc Pauli locum student peruertere, quòd uideant acriter suam hæresim urgere, qua negant uerum Christi corpus distribui in eucharistia. Ideoqué comminationes eius uocant admonitiones. Sed nec sic effugiunt beluæ istæ quin suis laqueis capiantur, quia utrunqué facit apostolus, & admonet scilicet, & æternam damnationem comminatur, & reliquas pœnas quas recenset, morbos, afflictiones, Clades, & mortem. Quod ex eo probatur cùm ait, ut non cum hoc mundo dãnemur. Fieri enim potest, ut indignè accedens temporanea pœna corripiatur. At conuersus & erroris penitens æternam damnationem effugiat, qui nisi afflictus & correptus non conuerteretur ad dominum. Sed impenitens æterno damnaretur supplicio.

Verba uerò Pauli omnium patrum consensu non

solum de his intelligenda sunt, qui imperfecta fide sacramenta recipiunt, sed & de his quoque, qui cùm sibi conscij sint lætalis peccati, inconsulte tamen se huic sancto & diuino ingerunt cibo dominico. Catholici etiam omnes, iudicium, de quo Paulus meminit, non de temporanea pœna, sed de perhenni & perpetua interpretantur. Quod ex origene, liquet, homilia secunda, in psalmum trigesimum septimum, cùm ait, Si in corpore tuo, macula aliqua, uel uulnus oriatur, aut ex collisione aliqua intumescat solicitus es, & perquiris, quid curæ debeat exhiberi, quomodo corpori sanitas antiqua reddatur: si circa oculos se aliquis acerbus humor effuderit, solicitus es, & perquiris, quomodo succurras & præuenias cæcitatem. Cùm anima tua egrotet, & peccatorum languoribus urgeatur, securus es, contemnis gehennam, atq; ignis æterni supplicia despicis & irrides, iudicium dei paruipendis, & commonentem te ecclesiam despicis. Cōmunicare non times corpus Christi. Accedis ad eucharistiam quasi mundus & purus, quasi nihil sit in te indignum, & in ijs omnibus, putas quòd effugies iudicium dei, sic origenes, qui hos notat, qui immunda conscientia mensam domini participant, & non metuunt iram dei, sed dicunt hum[a]nos esse terrores. Origenes.

Augustinus etiā hos impugnat libro quinto de baptismo, sic dicens; sicut enim iudas cui buccellam tradidit dominus, nō malum accipiendo, sed male accipiendo Aug. ca. 8.

locum in se diabolo præbuit sic indigne quisque sumens dominicum sacramentum, non efficit, ut quia ipse malus est, malum sit, aut quia non ad salutem accipit, nihil acceperit. Corpus enim domini, & sanguis domini erat illis quibus dicebat apostolus, Qui enim manducat indigne iudicium sibi manducat & bibit.

Chry. Chrysostomus Augustini sententiam corroborat homilia in Mattheum quartadecima cum dicit, sicut qui præclara ueste indutus, fugit omnem sordidam rem, ne coinquinet eam, & perdat gratiam candoris eius, sic qui suscipit deum in corpore suo & spiritu, solicitus esse debet, ne forte contaminet eum; sciens quia si contaminatus fuerit in nobis, ipse quidem in sua natura manet incontaminabilis. Tamen contaminationis, iniuriam, grauiter iudicabit nostro interitu. Sic ille.

Non ergo putandum est, corpus Christi sua natura ad internitionem nobis esse, sed uitio, accipientis, sicut cibus corporeus cum uentrem inuenerit aduersis humoribus occupatum, amplius lædit, magis nocet, & nullum præstat auxilium. Ita spiritualis iste cibus, si aliquem reperit malignitate pollutum magis eum perdet. Idem enim cibus alijs bonus, alijs malus est. Sic cor corpus Christi & sanguis, alijs ualet ad regnum, alios damnat ad supplicium.

Chry. Si pure accesseris (inquit etiam Chrysostomus homilia in Iohanem quadragesima quinta) ad salutem accessisti, sin praua conscientia, ad pœnam & supplicium.

Qui enim manducat & bibit indignè sanguinem domini iudicium sibi mãducat & bibit. & sequitur, nam, si qui regiam purpuram coinquinant, haud secus quàm qui scindunt, puniuntur, Quid mirum, si qui immunda conscientia Christi corpus accipiunt, idem supplicium subeunt, quod qui eum clauis cruci affixerunt? Vide quam formidandam pœnam minetur Paulus. Irritam quis faciens legem Moysi sine ulla miseratione, duobus uel tribus testibus moritur, quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit in quo sanctificatus est? 1.cor. 11. heb. 10

Ideò sicut dicit .b. Ambrosius exponens locum Pauli, deuoto animo & cum timore accedendum est ad communionem, ut sciat mens reuerentiam se debere ei ad cuius corpus sumendum accedit. Hoc enim apud se debet iudicare, quia dominus est, cuius in mysterio sanguinem potat, Et paulo post ait, nihil differt ab infideli, qui inconsiderate ad mensam domini accedit. Amb.

Athanasius hanc rem sic concludit. Qui manducat & bibit indignè iudicium sibi manducat & bibit. Nec sanè ob mysteriorũ naturam id dixerimus, quippe quæ uitam in se habent & largiuntur, sed ob mysteria adeuntium indignitatem, quibus haud secus illa officiunt, ac solet oculorum ualetudine laborantibus, sol ipse obiectus officere. Sic Athanasius. Audis hæretice quid dicat nempe mysteria (quæ sunt sacramẽta) habere in se uitã, Atha.

eamq; largiri? Scio quàm tibi displiceat, scio quę glossemata, quae soles afferre, quae nihili facienda sunt. Nos loquimur secundũ formulas quas uiri catholici praescripserunt ad haereses subuertẽdas. Vos muros hierico reędi-
Ios. 6. ficare nitimini contra uerbum domini ad subuersionem fidelium.

Quòd haeretici perperam persuadere nituntur peccatores non suscipere uerum Christi corpus. Cap. 25.

QVocirca adparet hos nouatores orbis ex uerbis Pauli, (quibus se muniunt) effugere non posse. Sed sicut auis quae in pedicas glutine perunctas, uel in retia inciderit, quo magis nititur auolare spansis alis, eò infelicius irretitur & capitur, ita ij leuiculi homines, quo magis scripturis nituntur (quas quaerunt peruertere) eò capiuntur magis, & infoelicius ca-
Apo. dunt, errores glutinosis erroribus connectentes, & qui
22. in sordibus sunt plus sordescunt propterea errori quem
Buc. diximus alium superstruunt. Nempe. Paulum; nullam aliam corporis & sanguinis Christi manducationem agnoscere, quàm eam quae saluifica est. Indignum enim & horrendum eis uidetur Christum se pati in cibum sumi ab immundis & corde pollutis.

Nos nihil horum pertimescimus, sed dicimus uerè manducari Christi corpus à peccatoribus & immũdis, licet indignè illud suscipiant ad iudicium. Nam Iudas malus erat, & Christi traditor, nemo tamen dixerit cũ

cæteris apostolis communionem Christi corporis nō suscepisse. Christus enim cum duodecim suis recombebat, sicut testatur euangeliū, & scriptum est (cùm de sanguine loquitur) biberunt ex eo omnes. Quare & Iudas bibit sanguinem & corpus Christi sumpsit, neq; quisquàm hactenus de re hac addubitauit, præter hos innouatores. Ideoquè & reliqui peccatores, & si impuri sunt, uerumtamen Christi corpus suscipiunt, in eucharistia. Nonnumquàm tamen catholici patres, uisi sunt dicere peccatores (qui scilicet peccandi propositum habent) non recipere Christum in sacramento, qui non sic intelligendi sunt, ut id quod omninò uerum est negent. Sed quia quod sumunt non est peccatoribus huiusmodi efficax ad salutē, in hunc sensum Augustinus loquitur, Aug. cùm inquit, quod qui discordat a Christo, nec Christi carnem manducat nec bibit sanguinem.

Alioquìi ipse sibi aduersaretur, & superiori loco (quē li. 5. de ex eo adduximus) contrarius esset, cùm ait Christi cor- bapt. pus non efficit, ut quia malus est, malum sit, aut quia ca. 8. non ad salutem accepit, nihil acceperit. Corpus enim atquè sanguis domini nihilhominus in illis erat quibus dixerat apostolus. Qui manducat & bibit indignè iudicium sibi manducat & bibit. Isthic certè duo dicit Augustinus, unum quòd peccator uerè recipit corpus Christi, alterum quòd uerba apostoli ad eos potissimum referuntur qui in lætali peccato communicant. Qui etsi sacramenta suscipiant, remissionē tamen

peccatorum non assequuntur.

Igitur sicut Christus pro omnibus mortuus est iustis & iniustis, reprobis, & electis, fructum tamen & passionis effectum finaliter soli iusti & electi percipiunt, & sentiunt. Ita ueraciter Christi corpus in eucharistia ab omnibus iustis & peccatoribus sumitur, sicut ueraciter est præsens. Attamen effectũ gratiæ salutaris & uitæ soli iusti participant. Qui enim fieri potest, ut cũ Christi corpus sacramẽto assistat (diuino tamen modò) & cum sacramento non recipiatur? Aut enim negandum est esse præsens (quod sæpius improbauimus) aut si præsens est necesse est cum sacramento exhiberi, sicut & seipsum in mysterio Christus exhibuit.

Quod non oportet carnem Christi conuerti in nostram licet ab impijs & pijs uerè manducetur. Cap. 24.

PVtant simpliciores quidam, & in rebus etiam humanis minùs eruditi, eam solam esse ueram manducationem, quã cibus desumptus in naturam, comedentis (actione naturali) cõuertitur. Quod de Christi corpore (cùm sumitur) nephas est omninò sentire. Quare, si uerè Christi corpus in mysterio comeditur, sicut ueritas dicit, & nihil eius in nos transit, consequens est, hunc trãsitum cibi in substantiã alẽti, ad ueram comestionem non requiri, sed quidam comestionis effectus est, ad spe=

cificam eius rationem intrinsecam non pertinens. Vera nihilominus fuit manducatio Christi, etiam postquàm resurrexit à mortuis, sicut eum manducasse & bibisse apostoli dixerunt & sæpius in euāgelio legimus. *luc. 2.*
Nemo tamen dicere audet, quicquàm cibi traiecti, in *Act. 1.*
immortalem & diuinam Christi transisse substantiam. *act. 10.*
Minus igitur sentiendum est, immortalem & diuinam Christi substantiam, in naturam hominis conuerti. Hæc enim est diuina dispensatio in sacro mysterio, & in reliquis Christi actionibus, ut non liceat in eis nimium esse curiosi. Si quis autem uidetur contentiosus esse (inquit apostolus) nos huiusmodi consuetudinem non habemus. *1. Cor.*
Quapropter cùm corpus Christi sumitur, potentior est *11.*
gratia quàm natura, ubi per hanc sæpè fit ut quòd comeditur transmutatur & transit. At per illam ipse comedens transmutatur, ut uiuat. Christo dicente, & qui manducat me, ipse uiuet propter me. Nec tamen dicendum est, nos non uerè comedere corpus Christi, uel bibere sanguinē. Sermo enim Christi uerus est, & (quòd ad rem attinet) etiam proprius.

Symbolistæ nullam propriam locutionem admittūt, nisi in re sua sit, ad quam omnia accommodant, & pro qua nemini concordant, præsertim catholicorum, quos odio uatiniano habent infensos, adeò ut quicquid doctrinarum, a catholicis receptum est, ipsi impudenter impugnant, in perniciem animarū, & subuersionem euangelij. Nam impio ipsorum exēplo, qui omnes catholicos

patres spernunt, & eorum rident doctrinam, plures in paganismum reciderunt, nullum credentes esse deū, & mortalem quoq; animam non uerentur asserere.

Quid mouerit symbolistas ut dicerent Christū non sumi à peccatoribus uel non peccare si sumerent. Cap. 25.

QVæ enim ratio putari potest, quæ hos moueat, ut præsumant asserere Christi corpus uel non manducari à peccatoribus, uel si manducatur, (etiam si sibi obnoxij sunt scelerum) nihil tam obesse ad æternam salutem, nisi, ut omnem dent licentiam in libertatem carnis? Videas hos sine discußione conscientiæ, sine peccatorum stimulis ad sacram mensam accedere, ueluti bubulas carnes manducaturi uel sybariticum conuiuium cœlebraturi. Videas sanè paucißimos ex ijs qui huic sectæ addicti sunt, peccata lugere, male actam uitam damnare, ieiunijs carnem affligere, iram & furorem dei in peccatis agnoscere, atq; ob hæc corde contrito ueniam humiliter deprecari, aut fratribus, quos uerbo aut facto offenderint, ad euangelicum præscriptum reconciliari.

De confeßione uerò quæ fit sacerdoti, nihil opus est, ut loquamur, quā penitùs ad ultimas insulas relegarunt, & ut rem omnium prophanam excluserunt, atque sicut diabolicum figmentum abominantur, atq; ob rem hanc catholicos ueluti stupidos aut etiam stipi-

tes irrident. Quod per confeßionem se putant reconciliari deo, & remißionem peccatorum obtinere. Nempè hæc istorum doctrina impia nimirum ijs placet, qui libentiùs uolutantur in cœno luxuriæ & nephandorum scelerum, qui aliquando uel pudore confeßionis à peccatis cessabant. Nunc liberè in suis immunditijs perseuerant; & sicut gentes, ambulāt in uanitate sensus sui (ut dicit Apostolus) tenebris obscuratum habentes intellectum; alienati à uia dei, per ignorantiam, quæ est in illis, propter cœcitatem cordis ipsorum, qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ omnis in auaritiā. eph. 4
In nullos uerius congruunt hæc uerba apostoli, quàm in hos qui uacant omni dolore peccatorum, quia se putant à confeßione quæ fit sacerdoti omnino liberos. Et ideò feruntur in omne scelus & omnem sensum perdiderūt, atq; uti lapis obduruerūt. Quomodo putes eos corā deo sua fateri peccata, qui remißionem peccatorum audire spernūt quæ fit à sacerdote? ab eo scilicet cui data est potestas remittendi & retinendi? Quomodo præter claues quæ soli datæ sunt ecclesiæ remitti possunt peccata? Frustra ergo datæ sunt, si præter eas fit remißio. Non sibi blandiantur hæretici, quòd hanc salubrem confeßionem sustulerint. Rem enim detestandam fecerunt & politiæ etiam Christianæ excitiosam, quia & per hāc abstraxerūt post se & captiuas duxerunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducūtur uarijs desiderijs & concupiscentijs, quæ & facilius circum- 2. thi. 3.

ueniuntur, omni semel posito pudore, qui est ex confessione. Quam ergo putamus utilem esse reipublicæ quæ tot habet commoda coram deo & hominibus? Nullam ego ob rem aliam puto priscos ecclesiæ mores refriguisse & degenerasse, nisi quia primum sine discrimine passim permissum est, hoc sacrum ministerium, doctis & indoctis. Nunc uerò nihil spei est, quòd penitus est neglectum.

Quamquàm uerò contritionem, quæ ex cognitione peccati est admittant, quæ fit per legem, & in partibus penitentiæ annumerent, eam tamen uerbo tenus habent: officio non habent. Timent enim, ne si uel uultu tristiori, aut lachrymis perfuso, inter suos fratres appareant, statim ad legem ab euangelio desciuisse putētur, & non Christi, sed Mosis discipuli sint. At uerò, quia euangelici malunt appellari, eorum opera sunt gaudere, lætari, epulari. Quæ ijs sunt contraria, dicunt esse legis operat. Puta, lugere, tristari, ieiunijs adfligi. Eos qui hæc faciunt, uocant Iudeos & Pharisæos, ueluti qui suis operibus fidant, uel qui euangelij libertatem non aprehendant. Ipsi uerò Christi intelligunt beneficium, qui excusso omni iugo disciplinæ ecclesiæ, absque ullo timore fræna laxârunt, in omnem libertatem carnaliū desideriorum. Interim tamen gloriātur, quòd beneficiū remissionis peccatorum per Christum soli intelligant.

Sed uide, quàm non sibi constat improba temeritas. Quomodo hoc beneficium Christi intelligunt, qui gra-

uitatem peccati, iram, & dei furorem non sentiunt. Quam si sentirent, in gemitu, luctu, ieiunijs ac lachrymis agerent, atq; in cinere & cilicio dei misericordiam implorarent. Non utiq; damnamus, quòd gaudeant & letentur in domino, sed quòd gloriantur in rebus pessimis, & non lugent in peccatis. Fieri enim nequit, ut dulcem Christi gratiam degustent, ij qui amaritudinem miserrimæ suæ sortis in peccatis non sentiunt. Haud igitur mirandũm est, si tam grandem & numerosam multitudinẽ atthraxerũt ad se, qui (sicut impius maumeth) unumquemq; ad se confugientem in sua carnis libertate uiuere permittunt, & (sicut Hieremias ait) secũdum Hier.
numerum Ciuitatum eorum, sic sunt dij eorum, idest tot 2.
sunt eorum dogmata dum cuiq; liceat opinari quod uelit, & nemo resistit, nisi cum Catholicis consentiat, quia contra hos uiriliter pugnant, & amaro animo digladiantur. Sed ijs omißis, sententias patrũ audiamus, quid de re nostra idest de sacro mysterio senserint, uideamus.

Veritas Christi corporis probatur ex Augustino & Ambrosio quorum grauis est authoritas. Cap. 26.

ITaquè nunc audite sententias patrum, quæ uestrum subuertunt errorem. Vos ne uideamini aliter sentire, atq; illi, quos catholica & apostolica ueneratur ecclesia, sæpius eorũ dicta, pro uestro fulciendo falso dogmate, peruersè citatis, præciditis, & troncatis, ac mali-

ciosè cōponitis. Interim uerò, sensibus uestris inhærentes, cōtra eos pugnatis, & omnem eorum doctrinā scurriliter exponitis, atq; impudenter uestris erroribus cōmiscetis, & nisi quis, ut serpens prudēs sit, & peruigil ut argus, possit facile decipi, ut opinetur, non aliud uos dicere, quā quod illi ueraciter crediderūt. Qui mehercle, omnes nihil minus opinati sunt, quàm quod uos de sacro Christi corporis & sanguinis mysterio impiè prædicatis. quoniā uerū Christi corpus & sanguinē in sacramēto adesse, & fidelibus ministrari unanimi cōsensu cōfeßi sunt, & docuerūt oēs quicūq; catholici fuerūt.

Aug. c. 4. In primis Augustinus malleus hæreticorū firmißimus. libro tertio de trinitate, corpus (inquit) Christi & sanguinem dicimus, quòd ex fructibus terræ acceptū, & prece mystica consecratū ritè sumimus ad salutem spiritualem, in memoriā pro nobis dñicæ paßionis. Quod cùm per manus hominū ad illam uisibilem speciē perducitur, nō sanctificatur, ut sit tàm magnū sacramentū, nisi operante inuisibiliter spiritu dei, cū hæc omnia quæ per corporales motus in illo opere fiunt, deus operetur.

Aug. c. 10. Idem eodem libro, quis nouit hominum (inquit) sicut infantes non norunt, quod in altari ponitur, & peracta pietatis celebratione consumitur. Vnde uel quomodo cōficiatur, uel undè in usum religionis assumatur. Etsi nunquàm discant experimento uel suo uel aliorum, & nunquam illam speciem rerum uideant, nisi inter celebrationem sacramentorum cùm offertur & datur;

dicaturq; illis autoritate grauissima, cuius corpus & sanguis sit, nihil aliud credent, nisi omninò in illa specie, dominum oculis apparuisse mortalium, & de latere tali percusso, liquorem illum omnino fluxisse.

Idem in Iohannem, *nimirum hoc est, quod legitur in prouerbijs salomonis, si sederis cœnare ad mensam potentis considerans intellige, quæ apponuntur tibi, & sic mitte manum tuam; sciens quia talia oportet te præparare.* Nam *quæ mensa est potentis, nisi unde sumitur corpus & sanguis eius, qui animam suam posuit pro nobis?* Et *quid est ad eam sedere, nisi humiliter accedere?* Et *quid est considerare & intelligere, quæ apponuntur tibi nisi dignè tantam gratiam cogitare?* Et *quid est sic mittere manum, ut scias quia talia oportet te præparare, nisi quod iam dixi?* Quia *sicut pro nobis animam suam posuit, sic & nos debemus pro fratribus ponere.*

Aug. tract. 28. prou. c. 23.

Idem *in enarratione tituli psalmi trigesimi tertij (quamquàm parum commoda interpretatione uiolentius hic utatur allegorijs, iuxta uersionem septuaginta, è qua legitur, quòd* Dauid *mutauit uultum suum coram* Achijs *& affectabat; & ad ostia ciuitatis tympanizabat & ferebatur in manibus suis.* Licet *ergo sic legat* Augustinus *& inconcinnā ducat allegoriā (ut uidetur quibusdam) tamē huius diuini mysterij fidē suā ostēdit, illud exponēs, quod* Dauid *dicitur ferri suis manibus.* Hoc *uerò fratres (inquit* Augustinus *(quō posset*

Aug. super psal. 33.

fieri in homine? Quis intelligat? Quis enim portatur in manibus suis? manibus aliorum potest portari homo; manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipso Dauid secundum litteram non inuenimus. In Christo autem inuenimus. Ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum ait; Hoc est corpus meum. Ferebat enim illud corpus in manibus suis. Quid apertius, & ad id quod agimus magis accommodum potuit Augustinus dicere?

Amb. *Diuus etiam Ambrosius totus est in hac sententia in libris de sacramētis, quos negant aduersarij esse ipsius. Hæreticorum hic mos est, uel authori detrahere auctoritatem, uel libros. Vt sit semper eis liberum, aut negare uel credere. Verumtamen liber de sacramentis non alterius est quàm ambrosii. Proindè audite quid dicat;*
lib.4. ca.5. *qui pridiè (inquit) quàm pateretur in sanctis manibus suis accepit panem. Antequam consecretur, panis est. Vbi autem uerba Christi accesserint, corpus est Christi. Deniq; audi dicentē, accipite & edite ex eo. Hoc enim est corpus meum. Et ante uerba, calix est uini & aquæ plenus ubi uerba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur, qui plebem redemit. Ergo uidete quantis generibus potens est sermo Christi uniuersa conuertere. Deindè ipse Dominus Iesus testificatur nobis, quòd corpus suum accipiamus & sanguinem. Nunquid debemus de eius fide & testificatione dubitare?*

Amb. *Idem paulo post, Iam redi mecum ad propositionem*

meam. Magnum quidem, & uenerabile quod manna pluit iudeis de cœlo; sed intellige, Quid est amplius? Manna de cœlo, an corpus Christi? corpus Christi utiqué, qui author est cœli. Deindè manna qui manducauit, mortuus est. Qui manducauerit hoc corpus, fiet ei remißio peccatorum, & non morietur in æternũ. Ergo *non ociosè dicis,* Amen. *Iam in spiritu confitens, quod accipias corpus Christi. Dicit tibi sacerdos, corpus Christi. & tu dicis* Amen. Hoc *est uerum. Quod confitetur lingua, teneat affectus.*

Idem *libro sexto sicut uerus est dei filius, dominus noster Iesus Christus. Non quemadmodum homines per gratiam, sed quasi filius ex substantia patris. Ita uera caro, sicut ipse dixit, quam accipimus, & uerus est potus.* Hæc Ambrosius. *Nec expedit hic uniuersa adducere, quæ ipse uir sanctißimus scribit pro huius mysterij ueritate. Cogantur necesse est aduersarij asserere Diuum Ambrosium non esse factionis eorum. Cuius argumenta sustinere non possunt. Cuius etiam non uerentur, superbi homines declinare autoritatem, & se pares, uel fortè maiores tanto uiro esse præsumunt. Sed uelint, nolint, succumbent hæretici.* Hunc *uirum dei* Ambrosiũ *uocat* Augustinus *sanctum dei oraculum, & cuius doctrinam rerum dicit comparari non posse.* In *cuius etiã libris precipuè elucet* Romana *fides (pelagio teste) cuius fidem, & purißimum in scripturis sensum, ne inimicus quidem, ausus est reprehendere.* Legito *augustinum*

Amb. c.1.

li. cõf. 6. c. 3. & lib. 5. c. 17

in libro contra Pelagium, de gratia Christi, & in libro cõfeßionum, uidebis quãto pretio æstimauerit Augustinus Ambrosium. Adeóq; omninò credendum est nec in apice quidem contrarium esse, Augustinũ beato Ambrosio, à quo rudimenta religionis Christi acceperat baptizatus ab eo, sed præstat audire reliquos.

Quòd Hylarius & Cyrillus ex ueritate sacramenti quandã unionem Carnis cum Christo adfirmant. Cap. 27.

Hyl. *HYlarius libro octauo de Trinitate, sic de re hac loquitur. Eos nunc (inquit) qui inter patrem & filium uoluntatis ingerunt unitatem, interrogo, utrum ne per naturæ ueritatem hodiè Christus in nobis sit, an per concordiam uoluntatis? Si enim, uerè uerbum caro factum est, & nos uerè uerbum carnem cibo dominico sumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est, qui & naturam carnis nostræ iam inseparabilem, sibi homo natus assumpsit, & naturam carnis suæ ad naturam æternitatis, sub sacramento nobis communicandæ carnis suæ admiscuit? Ita enim omnes unum sumus, quia & in Christo pater est, & Christus in nobis est. Sic Hylarius, qui tam certus erat Christi carnem per suam naturam nobiscum unum esse in mysterio, ut ex eo quòd naturaliter Christus in nobis, uel nos in Christo sumus, se*

euidentißime probaſſe aſſerat; non modo unitatem uoluntatis patris & filij contra arrianos, ſed unitatem naturæ, ut horum impietatem coarguat, qui Chriſti uerba, cùm ait, ego & pater unum ſumus.

Tentant ad unitatis referre conſenſum, ut non per id quod idem ſunt, ſed per id quod idem uolunt, unum ſint; ſicut Arrius *dicebat, & ſuæ impietatis aſcecle.* Vndè *poſtea ſequitur* Hylarius, *Quiſquis igitur naturaliter patrem in Chriſto negabit, neget prius non naturaliter, uel ſe in Chriſto, uel Chriſtum ſibi ineſſe; quia in Chriſto pater, & Chriſtus in nobis unum in his eſſe nos faciunt. Si uerè igitur carnem corporis noſtri, Chriſtus aſſumpſit, & uerè homo ille, qui ex* Maria *natus fuit, Chriſtus eſt, noſquè uerè ſub myſterio carnē corporis ſui ſumimus, & per hoc unum erimus, quia pater in eo eſt, & ille in nobis. Quomodo uoluntatis unitas aſſeritur, cùm naturalis per ſacramentum proprietas, perfectæ ſacramentum ſit unitatis?* Non *eſt humano aut ſeculi ſenſu, in dei rebus loquendum, nequè per uiolentiam atquè impudentem prædicationem cœleſtium dictorum ſanitati alienæ, atquè impiæ intelligentiæ extorquenda peruerſitas eſt. Quæ ſcripta ſunt legamus, & quæ legimus intelligamus, & tunc perfectæ fidei officio fungemur.* De *naturali enim in nobis Chriſti ueritate, quæ dicimus, niſi ab eo diſcimus, ſtultè atq; impiè dicimus.* Ioh. 10

Idem post hæc ait Christum dixisse, Caro mea uera est esca, & sanguis meus uerè est potus. De ueritate *carnis & sanguinis (inquit* Hylarius*) non est relictus ambigendi locus.* Nunc *enim, & ipsius domini professione, & fidei nostræ, uerè caro est, & uerè sanguis est; & hæc accepta & exhausta, id efficiunt, ut & nos in Christo, & Christus in nobis sit.* Hæc Hylarius. Huic *autem uiro fidelißimo, non habent* conuiciatores *quod iuste obijciant.* Nam *quod à Christo didicit, constanter asserit.* Humanum *sensum penitus abijcit, nec cauillosis glosematis Christi uerba detorquet.* Quia *in dei rebus, non est uiolenter aut imprudenter loquendum.* Hoc *facere uos non ueremini, qui si hoc prudentißimum consilium ab initio suscepisetis, non utiq; tantos tumultus & miseras tragedias commouissetis.* Sed, *quid scribat*

Cyril. lib. 10. ca. 13. *Cyrillus de hoc mysterio conspiciamus.* Qui *in* Iohannem *confutans eos qui nos sola fide & dilectione, & non natura carnis, Christo cōiungi putant, nostros symbolistas, antequam nascerētur, redarguēs.* Ergo (*ait*). *Age pauca de hoc dicamus, ac peruerse ab eis sacrarum litterarum sensum exponi ostendamus.* Non *negamus recta nos fide, charitateq; sincera, Christo spiritualiter coniungi, sed nullam nobis coniunctionis rationem secundum carnem cum illo esse, id profectò pernegamus.* Idq; *à diuinis scripturis omninò alienum dicimus.* Quis *enim dubitauit Christum etiam sic uitem esse, nos uerò palmites, qui uitam nobis inde acquiri-*

mus? Audi Paulum dicentem, quia omnes unum corpus sumus in Christo. Quia etsi multi sumus, unum tamen in eo sumus. Omnes enim uno pane participamus. 1.cor. 10.
An fortaßis putat ignotam nobis mysticæ benedictionis uirtutem esse? que cùm in nobis fiat, nonne corporaliter quoq; facit, communicatione carnis Christi, Christum in nobis habitare? Cur enim membra fidelium mēbra Christi sunt? Nescitis (inquit) quia membra uestra membra sunt Christi? Membra igitur Christi meretricis faciā membra? absit. Saluator etiam, Qui manducat carnē meam, ait, & bibit sanguinu meum, in me manet, & ego in eo. Vnde considerandum est, non habitudine solum, quæ per charitatem intelligitur, Christum in nobis esse, uerumetiam & participatione naturali. Nam quemadmodum, si quis igne liquefactam cæram, aliæ cæræ similiter liquefactæ, ita miscuerit, ut unum quid ex utrisqué factum uideatur, sic communicatione corporis & sanguinis Christi, ipse in nobis est, & nos in ipso. Non poterat enim aliter corruptibilis hæc natura corporis, ad incorruptibilitatem & uitam traduci, nisi naturalis uitæ corpus ei coniungeretur. Non credis mihi hæc dicenti? Christo te obsecro fidem præbe. Amen, Amen, (inquit) dico uobis: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis sanguinē eius, non habebitis uitam in uobis. Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, habet uitam æternā, & ego suscitabo eum in nouißimo die. Audis apertè

1.cor. 6.

Ioh. 6.

clamantem,non habituros nos uitam,nisi sanguinē eius biberimus,& carnem mãducauerimus. In uobis autem *ipsis dicit,idest,in corpore uestro,sic* Cyrillus. Auditis *hæretici,& uos non habituros uitam,nisi,ipsi quoque crediderititis naturalē Christi carnē uestræ carni uniri?*
Cyril. lib.11. ca.26. *In eadē sentētia perseuerat alibi.* Origo(inquit) *& uia qua spiritu sancto participamus, & deo uniti sumus, Christi mysteriũ est. Omnes enim in illo sanctificamur. Vt igitur inter nos & deum singulos uniret,quamuis corpore simul & anima distemus,modum tamen adinuenit,cõsilio patris & sapientiæ suæ congruentem. Suo enim corpore credentes,per cõmunionem mysticã benedicens,& secum & inter nos unũ corpus efficit. Quis enim eos,qui unius sancti corporis unione,in uno Christo uniti sunt, ab hac naturali unione alienos putabit? Nam si omnes unũ panem manducamus, unum omnes corpus efficimur. Diuidi enim atq; seiungi Christus nõ*
c.37. *patitur.* Idem libro tertio in Iohannē. *Quid igitur(inquit) Christus pollicetur? Quid credētibus adfert? Corruptibile certè nullum; sed benedictionem,quam communicatione corporis atq; sanguinis Christi assequimur. Vnde ad eam incorruptionem integrè reducemur, ut cibo & potu corporali non indigeamus. Viuificat enim corpus Christi,& ad incorruptionem sua participatione reducit. Non enim alterius cuiusdam, sed ipsius uitæ corpus est,uirtutem incarnati uerbi retinens, & plenum potestate illius quo uniuersa uiuunt & sunt.*

Chrysostomus huius mysterij fidem mirificè astruit, quem per omnia suus sequitur Theophilactus. Cap. 28.

CHrysostomus ferè omnem rationem sacri huius mysterij adeò explicat manifestè, ut demirer stolidam dementiam horum fanaticorum, qui sibi (inaniter tamen) persuadeāt posse hanc causam, uincere, aduersus uim tantam Græcorum & latinorū præsulum ecclesiæ. Iste homilia de traditione Iudæ, sic inquit. Nam cum manducarent & biberent, accepit Iesus panem, & fregit, & dixit, Hoc est corpus meum, quod pro uobis tradetur. Agnoscunt quid loquor, qui sunt diuinis consecrati misterijs. Et iterum accepit calicem & dixit, Hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur in remißionem peccatorum, & præsens Iudas erat ista Christo dicente. Iste est sanguis. Ac paulò post ait, sed iam nos ad terribilem mensam cū debita reuerētia tempus inuitat. Nullus ibi Iudas reperiatur. Nullus malignus accedat, Nullus ueneno pungatur; nec fucata uerba lingua proferantur, Nec insidiæ mente cōdantur, sed quod uolūtas poßidet, sermo declaret. Et nūc ille presto est Christus, qui illam ornauit mensam. Ipse istam quoque consecrat. Non enim homo est, qui proposita de consecratione mensæ dñi corpus Christi facit, & sanguinem, sed ille qui crucifixus, p nobis est Christus. Sacerdotis ore uerba proferuntur, & dei uirtute cōsecrantur, & gratia.

math. 26.

Hoc est (ait) corpus meum. Hoc uerbo proposita consecrantur. Et sicut illa uox qua dixit, Crescite & multiplicamini & replete terram, semel quidem dicta est, sed omni tempore sentit effectum ad generationem operāte natura, ita & uox illa semel quidem dicta est, sed per omnes mensas ecclesiæ usque ad hodiernum diem, & usque ad eius aduentum præstat sacrificio firmitatem. Nullus igitur fictus accedat. Nullus fucato animo tantis audeat mysterijs proximare, ne condemnetur, & sententiam mereatur; & quod Iudas sustulit, patiatur. Nam in illum post communicationem mensæ diabolus intrauit; ut discas quòd indigna & fucata mente mysteriorum secreta celebrantibus à diabolo præparantur insidiæ. Hæc dico, non ut uos terream, sed ut cautiores efficiam. Nemo sit Iudas in mensa. Pura igitur mens in omnibus, pura cogitatio, quia & sacrificiū purum est. Hæc Chrysostomus.

Videte (obsecro) quot pestiferos morbos quot uenena mortifera, unico sustulit medicamine diuinus æscu lapius, qui (sicut in aliis plerisq; locis) hic quoq; omnes resoluit nexus hæreticorum, qui soleant sacerdotum uerba irridere, atq; contumeliæ causa Rhedam uocāt, qua (ueluti uehiculo) corpus Christi aduehebant, è Cœlo. Has impias uoces in odium sacerdotij sacri ferūt in uulgum blasphemi, quasi nos simplici uerborū prolatione, ac non magis Christi ordinatione, fieri credamus, quòd ipse adsit Christus in suo mysterio. Qui modo adest

admirabili, sine motu locali, & suæ mutatione substantiæ, Christo consecrante hanc cœnam, per sacerdotis ministerium, quum id agit quod egit Christus, si id intendat quod Christus fieri uoluit; siue sacerdos credat, uel non. Neq; enim fides, aut infidelitas prodest, uel etiam obest, quo minus, uel magis habeant sacramenta firmitatem. Quoniam ut sacramenta sint sola diuina uirtus operatur, sicut contra donatistas arguit Augustinus, quos solent in pluribus, noui hæretici imitari, qui dicũt, solam fidem efficere, ut Christi corpus præsens sit. (Si præsens est) dicuntq; sine fide edi non posse. Nos uerò credimus peccatores & infideles manducare Christi mysteria, licet indignè, sicut supradiximus ex apostolo, & hic testis est Chrysostomus, qui à sacrificio communionis arcet fictos & fucatos, alioqui damnandos cum Iuda; Atq; eos pariter deuincit, qui dicunt. Hoc mysterium quod missam dicimus, non esse sacrificium quod dogma in sequentibus improbabimus. Non minus coarguit eos, qui dicunt, Corpus Christi quam diu quidem ministratur in suo adesse mysterio, sed si non ministretur abesse. Nos uerò mysticam benedictionem quã consecrationem dicimus, perpetuam remanere (quoad accidentia non corrupta sua permanent in natura) quia uirtus dei per uocem sacerdotis sacramento tribuit firmitatem, quemadmodum loquitur Chrysostomus, qui uno telo plures confodit Christi hostes. Chrys.

Idem in caput primum ad ephesios, de ueritate eu- hom. 3

charistiæ loquens, ait, quotquot in corpore Christi communicamus, quotquot & sanguinem illius degustamus, cogitemus, quòd illius corpus & sanguinem gustamus, qui in cœlestibus sedet, qui ab angelis adoratur; qui apud immortalem est potentiam, huius delibamus sanguinem. Et paulò post subdit; Plerosqué uestrum conspicio, qui corporis quidem Christi fiunt participes, sed temere, & quasi fortuito id contigerit, atque consuetudine magis, quàm lege, ratione, aut preuia mentis cogitatione.

theop. Chrysostomum suus sequitur Theophilactus. Hic enarrans caput uigesimum sextum, sic ait Christus di-
math. cens, Hoc est corpus meum, ostendit, quòd ipsum corpus
26. domini, est panis qui sanctificatur in altari, & non respondens figura. Non enim dixit; Hoc est figura; sed hoc est corpus meũ. Ineffabili enim operatione, trãsformatur, etiam si nobis uideatur panis. Quoniam infirmi sumus, & abhorremus crudas carnes comedere; maximè hominis carnem; & ideò panis quidem apparet sed caro est.

theop. Idem in caput Marci quartumdecimum (inquit,)
mar. cùm Christus benedixisset, hoc est gratias egisset fre-
14. git panem; id quod etiam nos facimus, preces adiungendo. Hoc est corpus meum. Hoc (inquam) quod sumitis. Non enim figura tantum & exemplar quoddam dominici corporis, panis est, sed in illum conuertitur corpus Christi. Dominus enim dicit, Panis quem

quem ego dabo, caro mea est; non dixit, figura est carnis meæ, sed caro mea est. Et *iterum, nisi ederitis carnem filij hominis.* Et *quomodo (inquit) caro non uidetur? O homo propter nostram infirmitatem istud fit. Quia enim panis & uinum, ex his sunt, quibus adsueuimus, ea non abhorremus. Idcirco misericors deus nostræ infirmitati condescendens, speciem quidem panis & uini, seruat, in uirtutem autem carnis & sanguinis transelementat.*

Ex Ireneo nostra probatur assertio de ueritate eucharistiæ. Cap. 29.

NOn *paruæ autoritatis est* Ireneus *Lugdunensis episcopus, qui uicinus fuit apostolorũ temporibus.* Ireneus. lib. 4. ca. 34.
Hic *libro quarto aduersus hæreses sic scribit, nostra autem consonans est sententia eucharistiæ, & eucharistia rursus confirmat sententiam nostram: Offerrimus enim ei, quæ sunt eius, congruenter communicationem, & unitatem prædicantes carnis & spiritus. Quemadmodum enim qui est à terra panis, percipiens uocationem dei, iam non communis panis est, sed eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena & cœlesti. Sic & corpora nostra percipientia eucharistiam, iam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia.* Et *eodem libro Dominus Iesus (ait) huius cõditionis, quæ est secundum nos, accipiens panem, suum corpus confitebatur,* c. 57.

& temperamentum calicis sui, sanguinem confirmauit.

Irenę. li. 5. Idem libro quinto paulò post principium. Vani (inquit) omnimodo sunt, qui uniuersam dispositionem dei contēnunt; & carnis salutē negant: & regenerationē eius spernunt, dicentes, non eam capacem esse incorruptibilitatis. Sic autem secundum hæc uidelicet, nec dominus sanguine suo redemit nos, neq; calix eucharistiæ, communicatio sanguinis eius, neq; panis quem frangimus communicatio corporis eius est. Sanguis enim, non est nisi à uenis & carnibus, & à reliqua, quæ est secundum hominem substantia, qua uerè factum uerbum dei, sanguine suo redemit nos; quemadmodum & apostolus eius ait. In quo habemus redemptionem, per sanguinem eius, & remißionem peccatorum. Et quoniam

eph. 5. membra eius sumus, & per creaturā nutrimur. Creaturam autem ipse nobis præstat, solem suum oriri faciens, & pluens quemadmodum uult, eum calicem qui est creatura, suum corpus confirmauit, ex quo nostra auget corpora. Quando ergo & mixtus calix, & factus panis percipit uerbum dei, fit eucharistia sanguinis & corporis Christi, ex quibus augetur & consistit carnis nostræ substantia. Quomodo carnem negant capacem esse donationis dei, qui est uita æterna, quæ sanguine & corpore Christi nutritur, & membrum eius, quemadmodum & apostolus ait, in ea quæ, est ad ephe

math. 5. sios epistola; quoniam membra sumus corporis eius, de carne eius & de oßibus eius; Non de spirituali aliquo

& mi-

& inuisibili homine, dicens hæc, spiritus enim, neq; ossa neq; carnes habet, sed de ea dispositione, quæ est secundum hominem, quæ ex carnibus, & neruis, & ossibus consistit; quæ de calice, qui est sanguis eius nutritur, & de pane qui est corpus eius augetur? Sic Ireneus, qui eos reprehendit qui carnem nostram dicebant non esse incorruptibilitatis capacem, indeque ueritatem negabant resurrectionis corporum.

Aliud igitur agit nihil, quàm ut ex uera ueri Christi corporis communione, probet ueram carnis nostræ resurrectionem. Quod uerò ad aliud comprobandum assumitur, oportet eo ipso magis notum esse. Non ergo est ambigendum fuisse receptißimum & in Christi ecclesia notißimum (quod ad fidem attinet) eucharistiæ mysterium, in quo omnes orthodoxi fatebantur, uerum ac naturale Christi corpus, & uerum sanguinem ministrari. Quibus munita caro nostra & in Christo coaugmentata, particeps fit incorruptele & immortalitatis, à deo nobis gratuito collatæ per participationē corporis & sanguinis eius. Et (quemadmodum inquit Ireneus) lignum uitis depositum in terra, suo fructificat tempore, & granum tritici decidens in terra & dissolutum multiplex surgit, per spiritum dei, qui continet omnia, quę deinde per sapientiam in usum hominibus ueniunt, sic nostra corpora Christi corpore & sanguine enutrita, & reposita in terram, & resoluta in ea, resurgent in suo tempore, uerbo dei resurrectionem

eis donante in gloriam dei patris. Ideo non potest natura nostra æternæ uitæ coniuncta nõ uiuificari. Quod alio simili probat Cyrillus. Quemadmodum enim (inquit) si quis scintillam ignis in fœno aut palea occultauerit, totum inde ignitum necessario fiet; sic uerbum dei tanquàm scintilla in naturam nostram immissum, totam in se inflammauit, atque ad uitam, interitu nitus destructo, reduxit. Viuificat enim corpus Christi, & ad incorruptionem sua participatione reducit. Sed obijciet quis, nonne qui corporis & sanguinis Christi mysteria non suscipiunt, (ueluti iudei nũc & Turcæ) resurrectionis tempore, non resurgent? Nonne omnes reuiuiscent? Omnes resurgent, respondemus, sed alij quidem ad beatam uitam, alij uerò ad mortem æternã; ut sicut in primo homine omnes morimur, sic rursus in secundo omnes reuiuiscent. Sed ea uita uocanda non est, quæ ad mortem secundam & æternam fit. Vitam eam nos intelligere debemus, quæ beata est, de qua dicitur,

Ioh.3. qui credit in filium habet uitam æternam. Qui autem incredulus est filio, non uidebit uitam, sed ira dei manebit super ipsum.

Igitur, qui negant uerum & naturale Christi corpus esse in eucharistia, negent pariter oportet, uerũ corpus mãducari. Sed sicut in signo adest, sic in signo editur, ut non uera, sed per similitudinem sit manducatio & imaginaria. Hinc subuertunt isti præcipuum fundamentum catholicorum, quo nituntur, ad probandã car-

nis nostrae resurrectionẽ. Quinimo si non uerè sed imaginario figmento Christi carnẽ nos edimus, necessario consequi uidetur, non uerã sed factitiam carnẽ habuisse Christum. Nos quoq; non uerè, sed fictè resurrecturos. Deniq; à ueritate excidemus sicut Himeneus & philetus, qui dicebant iam factã resurrectionẽ, & subuerterunt quorundã corda sicut scribit apostolus, sed firmum fundamentũ dei stat (inquit) habens signaculum hoc. Cognouit dñs, qui sunt sui. Quapropter in ecclesia perpetuò permanebit integra fides, qua credimus nos Christo uniri per mãducationem uerae & naturalis eius carnis. Nempe Christus non modò per gratiã habitat spiritualiter in anima, sed corpus quoq; nostrũ suum uoluit esse domicilium. Alioqui non dixisset apostolus, Nescitis quoniam membra uestra, membra sunt Christi, & qui adhaeret meretrici, unum corpus efficitur, cum reliquis quae sequuntur, quae omninò nostram confirmãt sententiam, ut credamus per esum carnis Christi, & haustum sanguinis cognationem nos habere cum carne Christi, per quam spem certam concipiamus nostrae future resurrectionis. Qui enim fieri potest, ut cũ Christus resurrexerit, non resurgant corpora nostra, que ei cognata sunt, quorum est caput?

2.thi. 2.

1.cor. 1.

Proindè quicquid apostolus de resurrectione mortuorum disserit, scribens ad Corinthios, minus est, nisi, uti basim omnium, illud constituamus. Nec sat est ad fidem quòd uerbum caro factum est, quodq; in assumpta carne

1.cor. 15.

Ioh.1.

moriens hominem redemerit. Sed illud etiam fieri deus uoluit, ut sicut adæ peccatum (quod per esum ligni mortis fuit) animam simul & corpus damnauit ad mortem, ita iustitia Christi, per comestionem carnis eius (quæ est lignum uitæ) animam uiuificaret & corpus.

Cal. ad Regẽ in epi. *Quod fidei analogiæ (quam tutißimam interpretandarum scripturarũ legem prædicant aduersarij) optimè respondet. Si quidem lignum mortis cũ ligno uitæ conferas: Nam materia peccati, pomum est, subiectum iustitie, Christus. Pendet pomum in arbore; nisi decerpatur, & comedatur non moritur homo in anima & cor-*

Ge. 2. *pore. Qua enim hora comederitis (inquit deus) morte moriemini. Pendet in cruce Christus; & nisi comedas, uterq; tuus homo non liberatur à morte. Nisi enim manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis. Sic statuit summa dei sapientia, oportere scilicet Christi corpus nobis prodesse ad iustitiam & ad uitam, sicut pomum illud no-*

Ioh. 6. *bis obfuit ad peccatum & ad mortem. Non quòd pomum mala esset substantia (sicut fabulantur manichei) sed ex mala affectione hominis dei præceptum contemnentis sumpta est occasio peccati, ex pomo, de quo si non gustasset Adam, opinantur quidã morbidam qualitatem in corpore non fuisse contractam, ex qua deinde totum corruptum est genus humanum, per propagationem ex seminis commixtione ab adamo descendens. Ex quorum sentẽtia, consequens est, quòd si adam*

mus in animo statuisset quidem & penitus deliberasset pomum uetitum comedere, postea uerò penitentia ductus abstinuisset, nec ipse fomitem tabidum contraxisset, nec transmisisset in posteros; licet eius animus a rectitudine diuini præcepti deflexisset. Vt igitur in anima simul & corpore infirmaretur, uetitum lignū oportuit comedere; Ita ad analogiæ rationem conciliandam Christus suum corpus nobis proposuit ad manducandum, ut non modo anima sanetur, fide, & dilectione, sed ut nostra caro à fomite & carnali concupiscentia liberetur. Quod tunc plenè fiet, quando absorta mortis uictoria, mortale hoc nostrum æternam immortalitatem induerit.

Ex ijs ergo quæ diximus, & ex ijs quæ in sententijs. D. Hylarij adnotauimus, apparet scœlestos perfugas Christi crucis inimicos, præter quòd ad antiqua scœlestißima hæreticorum conuēticula defecerunt, etiā ualidißima catholicorum arma diruere & obtundere quærunt: ne uel ipsi, uel illi, confodiantur. Quinetiam, ueluti palestini Iacob puteos scrobe & humo ac sordibus opplebant, sic isti limpidißimos diuinarū scripturarum sensus fœdant, & putribus glosulis conspurcant; ut tandem precipua Catholicorū dogmata subuertant, fidem scilicet trinitatis & unitatis diuinarū personarū, & futuræ carnis nostræ resurrectionis. Quæ ueluti solido argumento nobis credenda proponūtur à patribus præsertim Ireneo & Hilario quòd Christi caro quæ no-

bis datur in cibum unum nos efficiat cum Christo, qui & unũ cũ patre est, & author nostræ immortalitatis. Hoc mysteriũ ipsos deuicit arrianos & prostrauit saduceos, quorũ dirrupta castra aduersarij ex rediuiuis lapidibus redintegrant, & nouam etiam materiã præparant. Hostili enim animo, ueluti perduelliones, aduersus rempublicam Christi conspirarunt, & cum omnibus hæreticis iungunt dexteras, & fœdera firmant. Sed alios doctrinæ nostræ testes aduocemus.

Probatur ueritas sacramenti ex Io. damasceno, Origene. Cypriano, Arnobio. Epiphanio, & Theophilo. Cap. 30.

Iohan. dam. c. 14. HVic catholicæ doctrinæ subscribit Io. damascenus, libro quarto orthodoxæ fidei. Si uerbum dei uiuẽs est; (inquit) efficax, & omnia quæcunque uoluit dominus fecit. Si dixit fiat lux, & facta est; fiat firmamentum, & factum est. Si uerbo dei cœli firmati sunt, & spiritu oris eius, omnis uirtus eorum, si cœlum & terra, aqua, ignis, & aer, & omnis ornatus eorum, uerbo domini perfecta sunt, & homo ipse ubique diuulgatum animal, si uolens ipse deus, uerbum factus
Io. 1. est homo, & ex sanctæ uirginis purissimis & illibatissimis sanguinibus, in seipso sine semine carnem sustentauit, non potest panem sui ipsius corpus facere? & uinum & aquam sanguinem? Dixit in principio,

Producat terra herbam uirentem, & usque nunc, plu- gen.1.
uia facta, producit germina, diuino coadiuta & uigo-
rata præcepto. Dixit Deus, Hoc est corpus meum, &
hic meus est sanguis; & hoc facite in meam commemo-
rationem, & omnipotenti eius præcepto (donec ueniat)
efficitur. Sic enim dixit, donec ueniat. Et fit pluuia no-
uæ huic agriculturæ, per inuocationem spiritus sancti
(obumbrans uirtus). Nam quemadmodum omnia quæ-
cunque fecit deus spiritu sancto operante fecit, sic &
nunc spiritus sancti operatione, hæc super naturam ope
ratur, quæ non potest capere nisi sola fides. Quomodo
fiet mihi istud (dicit sancta uirgo) quoniam uirum non
cognosco? Respondet Gabriel Archangelus, spiritussan- tit.3.
ctus superueniet in te, & uirtus altissimi obumbra-
bit tibi. Et nunc interrogas, quomodo panis fit cor-
pus Christi? & uinum & aqua sanguis? Respondeo
tibi, & ego, spiritussanctus obumbrat, & hæc ope-
ratur super sermonem & intelligentiam. Panis autem
& uinum transsumuntur. Nouit enim deus humanam
infirmitatem, quod complura usu non trita auersatur,
moleste ferens. Assueto igitur condescensu usus, per
consueta naturæ ea facit, quæ sunt super naturam.
Et quemadmodum in baptismate, quia consuetudo est
hominibus, aqua lauari, & oleo ungi, coniunxit,
oleo & aquæ gratiam spiritus sancti, & fecit il-
lud lauacrum regenerationis, hunc in modum, quia
mos est hominibus, panem manducare, & uinum, et

aquam bibere, coniunxit his ipsis suam diuinitatem, & fecit hæc suum corpus & sanguinem, ut per assueta, & quæ sunt secundum naturam, in ijs quæ sunt super naturam collocemur. Corpus enim secundum ueritatem coniunctum est diuinitati, quod ex sancta uirgine corpus est: Non quòd ipsum corpus assumptum ex cœlo descenderit, sed quòd ipse panis & uinum, transmutatur in corpus & sanguinē dei. Si aūt modum requiris quo nam pacto fit, sat sit tibi audire, quoniam per spiritum sanctum, quemadmodum ex sancta deipara, se ipso, & in seipso, dominus carnem sustentauit.

Neq; etiam hoc dictu promptum, quomodo naturaliter per comestionem, panis & uinum & aqua per potionem, in corpus & sanguinem comedentis, & bibentis transmutatur, & non fit aliud corpus præter id quod prius erat ipsius, sic & propositionis panis, uinumquē & aqua, per inuocationem & aduentum spiritus sancti super naturaliter transmutatur in corpus & sanguinem Christi; & non sunt duo, sed unum & idem. Fit igitur ijs qui fide dignē assumunt, in remißionem peccatorum; & in uitam æternam, & in custodiam animæ & corporis. His aūt qui per infidelitatē indignē participant, in punitionem & supplicium. Quemadmodum & Christi mors credentibus facta est uita, & incorruptibilitas in fruitionem sempiternæ beatitudinis. Infidelibus autem, & domini interfectoribus in supplicium, & pœnam sempiternam. Non est figura panis

& uinum corporis & sanguinis Christi. Absit enim hoc. Sed est ipsum corpus domini deificatum; ipso domino dicente, Hoc est corpus meum, non figura corporis, sed corpus; & non figura sanguinis, sed sanguis. Sic Io. Damascenus, qui plura post hæc, de hoc mysterio & eius effectibus describit. At scio huic uiro catholico, detrahent improbi pondus autoritatis, quòd eos solos acceptant, qui suæ factionis sunt, hos uehunt ad sidera, & quasi diuino spiritu afflatos collaudant, cæteros suis impijs somnijs resistentes, ueluti stupidos & bardos cõtemnunt. Sed ad rem nostrã regredientes, alios (quos isti stultos putant) uideamus.

Origenes qui clarus fuit Anno domini ducentesimo trigesimo, exponens caput Mathei uigesimum sextũ, sic ait. Panis iste, quem deus uerbum corpus suum esse fatetur, uerbum est nutritorium animarum; uerbum de deo uerbo procedens; & panis de pane cœlesti, qui positus est super mensam, de qua scriptum est, parasti in conspectu meo mensam. orige. psal. 22.

Idem in Lucam si non comedimus panem uitæ, si nõ carnibus Christi uescimur, & cruore potamur; si contemnimus dapes saluatoris nostri, scire debemus, quòd habeat deus, & benignitatem & seueritatem. orige.

Idem contra Celsum, libro octauo, nos (inquit) conditori rerum morem gerentes, pro eius collatis in nos beneficijs, ubi & gratias diximus; oblatis panibus uescimur. Qui utique ex oratione & precibus, sanctius origе.

quoddam corpus conflatur, quod sane sanctiores hos reddit, qui mente integriore, hoc ipso utuntur.

cypri. Cyprianus annos triginta post origenē fulget, anno scilicet salutis ducentesimo sexagesimo, episcopus & martyr sub ualeriano. Hic sermonem de cœna dñi composuit, & totus est in nostra sentētia, ut doceat, sub signis uisibilibus, uerum Christi corpus ministrari: & inter reliqua sic scribit, panis iste communis in carnem & sanguinem mutatus procurat uitam & incrementum corporibus. Ideoque ex consueto rerum effectu, fidei nostræ adiuta infirmitas, sensibili argumento edocta est, uisibilibus sacramentis, in esse uitæ æternæ effectum, & non tam corporali, quàm spirituali transitione Christo nos uniri.

cypri. Item, panis (inquit) iste quem dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia uerbi, factus est caro. Audite surdi, & uidete cœci, pa-

obiect. nem, dei potestate, factum carnem, & ne dixeris tunc in cœna quidem sua Christum, panem in suam carnē commutasse, nunc uerò per sacerdotes minimè fieri. Hanc

rñsio. tuam stultam obiectionem exemit (si sapis) ipse Cyprianus statim subijciens, Christus usq; hodie hoc ueracissimum & sanctissimū corpus suum creat: & sanctificat:

arnob. & benedicit: & pie sumentibus diuidit. Arnobius, flo-

psal. ruit à partu uirginis anno tercentesimo. Qui exponēs

110. psalmum decimum & centesimum, sic ait, memoriā fecit dominus mirabilium suorū dicens. Hoc quotiescunq;

feceritis, in mei memoriam facietis. Quando hoc dixit, misericors & miserator dominus. Tūc sine dubio, quando dedit escam corporis sui, timentibus se.

Epiphanius, episcopus Cyprius uixit anno Christi natiuitatis tercentesimo sexagesimo nono. Hic scripsit librum aduersus hæreses: atque loquens de hoc mysterio contra Melchisedecianos sic infit. Quando Abraam fuit annorum octuaginta octo aut nonaginta plus minus, tunc Melchisedech ipsi obuiam uenit. & proposuit ipsi, panes & uinum mysteriorum ænigmata præfigurans, & exemplaria: cum dominus noster dicat. Ego sum panis uiuus. & exemplar sanguinis ipsius, qui ex latere ipsius compuncto fluxit ad purgationem inquinatorum, & respersionē in salutem animarum nostrarū. Sic ille, nec ullus relinquitur aduersarijs tergiuersandi locus, qui dicant Epiphaniū loqui de mysterio crucis, nō eucharistiæ. Alioqui frustra exemplaria oblati panis & uini cōmemoraret, quorum sub speciebus, corpus & sanguis Christi ministratur. Sed alibi ipse magis aperit, quid sentiat de hoc mysterio. Videamus (inquit) quod accepit saluator in manus suas (ueluti euangelium habet) quod surrexit à Cœna, & accepit hoc, & ubi gratias egisset, dixit. Hoc meum est: hoc & hoc, & nemo non habet fidem sermoni. Qui enim non credit, esse ipsum uerum. Sicut dixit, is excidit à gratia & salute. Quod autem audiuimus, id credimus quod est ipsius.

Theophilus Alexandrinus libro primo paschatis. Panis (inquit) dominicus, quo saluatoris corpus ostenditur & quem frangimus in sanctificationem nostri, & sacer Calix qui in ecclesia colloquatur, per inuocationem & aduentum spiritus sancti sanctificantur sic Theophilus. Nec tamen a recta fide moueatur lector, quod panem frangi dicat, & per eum corpus saluatoris ostendi, quasi uel maneat substantia panis, uel in eo sit tãtum in signo, ueluti faueat nostrijs aduersaris. Sed sic intelligitur quòd dubio procul corpus saluatoris sub speciebus panis & uini, a sacerdote populis ostenditur, & quæ species diuiduntur & communicantibus traduntur: quamquàm huius dicti intelligentia ex ijs que statim dicturi sumus apertius, apprehendatur.

Quid Tertulianus de hoc mysterio scripserit & eius dicta Catholicè declarantur. Cap. 31.

Tertul. TErtulianus uir apprimè doctus, cuius fama resplẽduit circiter Annum Christi nati centesimum trigesimum, nostræ adhæret assertioni. Sic enim scribit in
c.34. libro de resurrectione Carnis. Videamus (inquit) Nunc de propria etiam Christiani nominis forma, quãta huic substantiæ (carni scilicet) friuolæ ac sordidæ, apud deũ prærogatiua sit. Et si sufficeret illi, quòd nulla omnino anima salutem poßit adipisci, nisi (dum est in corpore) crediderit, adeò caro salutis est cardo, de qua cum ani-

ma deo alligatur. Ipsa est quæ efficit ut anima alligari possit. Sed & caro abluitur, ut anima emaculetur. Caro ungitur, ut anima consecretur. Caro signatur, ut anima muniatur. Caro manus impositione adumbratur, ut & anima spiritu illuminetur. Caro corpore & sanguine Christi uescitur, ut & anima de deo saginetur. Non *possunt ergo separari in mercede, quos opera coniungit. Sic Tertulianus.* Quanquàm uerò, *ultima tantum huius sententiæ pars, nobis uideatur deseruire, nõ frustra tamen reliqua descripsimus ad eruditionem fideliũ, ut cognoscant somnia delirantium hæreticorum, qui penè omnes ecclesiæ cæremonias ridere solent; quas ab eximijs & catholicis uiris constat obseruatas; in signo crucis, in sacro chrismate, in impositione manuum.* Hæc *(inquam) omnia schismatici, ueluti fascinationes demonum abhorrent; quæ tamen pij patres religiosè obseruarunt, & crediderunt esse ad salutem oportuna, si in fide Christi fierent.* Neq; *uerò in ijs externis ceremonijs salutis summam collocarunt, quasi ex ipsis iustificari homo se putet, sed sicut per naturæ usum, omnia animæ opera, per externam carnis operationem fulciuntur; adeò, ut nihil intelligere existimetur, sine actione sensuum; ita oportuit in ijs quæ ad fidem attinent, per ea quæ extrinsecus admouentur in corpore, intus eorumq; per spiritum fiant admoneri animam.* Verumtamen, *(quod attinet coram deo) ipsa Christi fides, cardo est, & ut rerum summa requiritur, sine qua deo placere* heb. 11

non possumus.

Tertul. lib. 4. Idem apertius ueritatem manifestat huius mysteri, in libro quarto aduersus Marcionem dicens. Professus itaq; (scilicet Christus) se concupiscētia cōcupisse, edere pascha, ut suū (indignū enim, ut quid alienum concupisceret deus) acceptū panē, & distributū discipulis, corpus suū illū fecit, Hoc est corpus meum dicēdo, idest figura corporis mei. Figura aūt non fuisset, nisi ueritatis esset corpus. Caeterum uacua res, (quod est phātasma) figuram capere nō posset; aut si propterea panē corpus sibi finxit, quia corporis carebat ueritate, ergo panē debuit tradere pro nobis. faciebat ad uanitatem Marcionis, ut panis crucifigeretur. Cur aūt panē corpus suū appellat, & nō peponem, quē Marcion cordis loco habuit? Haec Tertulianus.

Oppositio. Aduersarij solent hanc sententiam pro suo falso dogmate adducere, quia dictū Christi, Hoc est corpus meū, Tertulianus interpretatur. Idest figura corporis mei. Ecce (inquiunt) & nos quoq; sic sentimus & loquimur.

Rūsio. Quòd sic loquamini, audimus. Sed ab eius tamē sensu, longe abestis. Isthic nēpe agit Tertulianus aduersus Marcionem, qui ueritatem carnis Christi negabat, quā & uos quoq; negatis in eucharistia dari. Proinde quicquid arguit eo loco contra Marcionitas Tertulianus, aduersus uos quadrat. Itaque, cū uerba Christi exponit, Hoc est corpus meū, idest figura corporis mei, cū uestro dogmate non cōuenit eius sensus, quem intendit cōtra Marcionē, quasi corpus Christi absit à mysterio;

alioqui nihil agit Tertulianus eius quod intẽdit pro ue
ra Christi carne asserenda, uos figuram, ueluti rei ab=
sentis ab eo dici putatis, at ille de re presente intelligit.
quod certè ex ijs adparet, quæ sumità prophetis, qui de
pane & uino in figura mysterij tunc absentis præ=
nunciarunt. Veluti cùm ait Hieremias, mittamus lignũ Hie. 11
in panem eius; & Esaias, quare rubrum est indumen= Esa.
mentum tuum, & uestimenta tua sicut calcantiũ in tor 63.
culari; & in genesi de Iuda qui Christum liniabat, laua genes
bit in uino stolam suã, & in sanguine uuæ amictũ suũ, 49.
stolam & amictũ, carnẽ demonstrans, & uinũ sangui=
nẽ. Itaq; quod ꝓphetæ de corpore & sanguine Christi
prænũciabãt absentibus, hoc Christus de suo corpore &
sanguine præsentibus profitebatur: per figurã panis et
uini, quæ sunt sacramẽta, sub quorũ speciebus, corpus et
sanguis Christi ministrantur. Quia reuera, panẽ fecit
suũ corpus, & uinum consecrauit in sanguinem (sicut
in eo loco paulo post dicta) ipse Tertulianus affirmat.
Sed uide quàm concinne resonet in auribus & mente
argumentũ cõtra Marcionem quod facit Tertulianus si
fiat in hos nouos Marcionitas. Sic enim arguit, aut si
propterea panẽ corpus suum finxit, quia corporis care
bat ueritate: ergo panem debebat tradere pro nobis, fa=
ciebat ad uanitatem Marcionis, ut panis crucifigere=
tur. Hæc sunt uerba Tertuliani. Quis non uideat, hoc
argumẽtũ fieri eo modo posse, aduersus hos nostros (hac
in re) Marcionis asseclas? Atque ratio iuxta regulas

dialeticus fiat sic. Quod Christus porrexit manducan-
Mat. 2. *dum in cœna, pro nobis in cruce est affixum. Ait enim,*
Lu. *accipite & mãducate, Hoc est corpus meum quod pro*
Mar. *nobis tradetur. Proinde si panem porrexit manducan-*
dum præterea nihil (sicut isti contendunt) consequẽs
certe est, ut panis sit crucifixus; quod facere ad uani-
tatem Marcionis dicit Tertulianus. Et hoc etiam facit
ad uestras insanias. Adparet igitur, uos perperam ad
uestrum furorem abuti dicto Tertuliani, quod contra
uestram impiam doctrinam acerrime pugnat.

Ideo rectam huius mysterij fidem tenuit uir iste do-ctißimus, qui etiam de mulieribus illis loquens, quæ sibi gentiles maritos iungebant (cum essent ipsæ christianæ) ad uxorem suam scribens, sic ait, non sciet Maritus, quid secreto ante omnem cibum gustes; & si sciuerit, panem nõ illum credit qui dicitur; Sic ille. Ex quibus uerbis etiam hic manifestat, primum quidem fuisse tunc etiam susceptum laudatißimum usum in ecclesia, ut ieiunij cibum dominicum sumerent, Deinde, non esse illum, usualem panem & communem, sed multo diuiniorem. Videlicet dominicum Christi corpus. Quod per sacerdotes ministrari, uiri gentiles non erant credituri, sicut nec credunt hæretici, quibus absurda ista quæ dicimus uidentur.

Quod Basilius, Ignatius, Clemens. Hieronymus & magnus Gregorius hanc fidẽ confitentur. Cap. 32.

BAsilius uir magnus libro de baptismate primo, quum locum Iohannis capite sexto, de carne & sanguine Christi intelligi de mysterio eucharistiæ osten disset, tandem finem capitis, sic concludit. Atq; hoc modo (inquit) considerare debemus, iudicium eius, qui indignè edit ac bibit. Si uero is qui fratrem propter cibum offendit, à charitate excidit, sine qua, & magnorum donorum & iustificationis operationes nihil pro sunt, quid nam dixerit, quis de eo qui ociosè, & inutiliter, edere audet corpus, & bibere sanguinem domini nostri Iesu Christi, & propter hoc abundantius spiritum sanctum offendit, atq; audet citra constringentem charitatem, ut iudicet, non sibi ipsi uiuere, sed ei qui pro nobis mortuus est, & resurrexit Iesu Christo domino nostro, edere ac bibere? Oportet igitur accedentem ad corpus & sanguinem Christi, in cõmemorationem ipsius, qui pro nobis mortuus est, & resurrexit, non solum purum esse ab omni inquinamento carnis & spiritus, ut ne in iudiciũ edat ac bibat, sed etiam euidenter ostendere memoriam eius; qui pro nobis mortuus est, & resurrexit, in eo quòd mortificatus sit peccato & mundo, & sibiipsi, uiuat autem deo, in Christo Iesu domino nostro. Sic basilius. Basil. ca. 3.

Ignatius Christi martyr fœlicißimus, Iohannis discipulus, paucis (sed solidis) uerbis explicat fidem suam, in epistola quam scripsit ad Romanos, sic dicens. Non delector pane corporali, sed panẽ dei uolo ei us qui ex genere Igna.

dauid est; & potum uolo sanguinē ipsius. Hæc paucula Ignatius. Scioq;, quid soleāt opponere aduersarij, ut aliū sensum fingant in uerbis Ignatij, quasi de sola fide in Christum loquatur, sed oppositio eorū nimium frigida est, & cum uerbis Christi martyris nō couenit. Quare in seipsa concidit, & alia non ęget responsione.

clem. *Clemens Petri successor, epistola secunda ad Iacobū fratrem dñi, de sacratis uestibus uel uasis loquens de cōmunione corporis Christi, sic loquitur. Communio enim dñi nostri Iesu Christi, si negligēter erogetur, & presbiter minora non curet, admonere officia, graui anathemate, & digna humiliationis plaga feriatur. Certè tanta in altario holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant: quòd si remanserint, in Crastinum non reseruentur, sed cū timore & tremore, clericorū diligentia, cōsumantur. Qui aūt residua corporis domini, quæ in sacrario relicta sunt, consumunt, non statim ad cōmunes accipiendos cibos conueniant. Sic Clemens.*

Qui cùm uult cū timore & tremore cōsumi recidua holocausta, ea quæ tractamus omnia resoluit, quod, scilicet, Christus adsit, ut offeratur in holocaustū; & cum timore suscipiatur qui est cultus latriæ: & ueræ adorationis. Habent hic quoq;, illi nostri quid controuertant, præsertim de uario usu sumendi, & cōseruandi eucharistiam. Sed habet ecclesia potestatem aliquot ritus immutandi pro communi cōcordia in ædificationē. Hoc proprium est procerū ecclesiæ, quorū est rationē reddere

de regimine ouiū Christi. Interim approbatos ecclesiæ ritus seruemus, & non simus nimiū soliciti de cæremoniis, quæ per publicum consensum antiquatæ sunt, sola doctrina fidei immutabilis permanet.

Hieronymus linguarum peritißimus, uir admodum Catholicus, respondens ad quæstionem secundam Hedibiæ, de pluribus interrogantis, cùm inquirit, quomodo accipiendum sit, illud saluatoris apud Matheum, dico autem uobis, non bibam amodo de hoc genimine uitis, usquè in diem illum, quo bibam illud nouum uobiscum in regno patris, sic (inquit). Ex hoc loco, quidam mille annorum fabulam struunt: in quibus Christū regnaturum corporaliter esse contendunt: & bibiturū uinum: quod ex illo tempore, usquè ad consumationem mundi non biberit. Nos autem audiamus panem, quem fregit dominus, deditq; discipulis suis, esse corpus domini saluatoris (ipso dicente ad eos,) accipite & comedite, Hoc est corpus meum. Et calicem illum esse, de quo iterum locutus est, bibite ex hoc omnes: Hic est sanguis meus, noui testamenti, qui pro multis effundetur. Iste est calix de quo in propheta legimus: calicem salutaris accipiam, & alibi. Calix tuus inebrians, quàm præclarus est? Si ergo panis, qui de cœlo descendit, corpus est domini, & uinum quod discipulis dedit sanguis illius est, noui testamēti qui pro multis effusus est in remißionem peccatorum: iudaicas fabulas repellamus, & paulo post.

Hiero. mat. 2. ps. 115 ps. 22. Ioh. 6.

Hiero. Idem Hieronymus. Non moyses (inquit) dedit nobis panem uerum, sed dominus Iesus. Ipse conuiua & cõuiuium ipse comedens, & qui comeditur. Illius bibimus sanguinem, & sine ipso potare non possumus. & quotidie in sacrificijs eius, de genimine uitis ueræ, & uineæ sorech quæ interpretatur electa, rubẽtia musta calcamus & nouum ex his uinum bibimus de regno patris, sic Hieronymus, qui simpliciter, sine figuris & tropis atq; alijs uerborum ambagibus, piæ & eruditæ mulieri respondet, quæ de extremis galiæ finibus in bethlemiticum rus ad eum miserat. Nec ullo modo putauerim uoluisse, sic quæstionem soluere, ut aliam gigneret, & piam mentem mulieris molestius perturbare, de ueritate corporis & sanguinis Christi quæ in regno ecclesiæ, (quod est regnum patris) ministrantur, clare igitur & fideliter catholicum dogma apperuit.

Hiero. Quorum uerò ministerio fiant, sacro sancta hec mysteria idem scribit ad heliodorum, in epistola de uita eremitica. Absit (inquit) ut de his quicquàm sinistrum loquar, qui apostolico gradui succedentes, Christi corpus, sacro ore conficiunt. Sic Hieronymus, qui quanta sit dignitas sacerdotũ ostendit, quæ non est ex hominibus sed

Chrys. ¶.4. ex deo, sicut dicit Chrysostomus libro tertio de dignitate sacerdotali, cùm ait. Sacerdotij autem (de quo loquimur) aspice dignitatem. Agitur quidem in terra, sed officium eius cœlestibus negotijs continetur, & quidem cõsequenter: Non enim homo: non Angelus: non Archan-

gelus:non alia creatura:nō uirtus sed ipse spiritus sanctus,hoc munus instituit. Atq; aduc manentes in carne, ministerio præstitit Angelorum fungi.

Gregorius magnus in homilia pascatis. Calix,inquit, quem sacerdos catholicus sacrificat, non alius est,nisi ipse quem dominus apostolis tradidit,quia sicut diuinitas uerbi dei,uita est,quæ totum implet mundum,ita licet in multis locis,& innumerabilibus diebus,illic consecretur corpus,non sunt tamen multa corpora Christi, neq; multi calices. Sed unum corpus Christi, & unus sanguis cū illo quod sumpsit in utero uirginis,& quod dedit apostolis. Hec Greg. qui unico fermé apophtegmate idest breui dicto omnem comprehendit controuersiam,de Christi omnipotentia,& uero Christi corpore & sanguine que in mysterio per sacerdotes sacrificantur, ut propterea missa dicatur esse sacrificium. Que omnia supra satis,ex tantis Catholicorum scriptis,uera esse monstrauimus. greg. de cō: dist:2. c.quid sit.

Quod non ab hominibus est hoc dogma sed a Christo & ab Apostolis,& de cōcilijs sæpe congregatis contra hæreses. Cap. 33.

QVid agendum est pluribus cum istis hæreticis? si tot catholicos & orthodoxos testes non audierint,neque si quis ex mortuis resurrexerit credent sicut de diuite loquitur Christus. Quicunquē lu.16.

enim patres de hoc mysterio locuti sunt uno cõsensu idipsum asserũt, nec alter ab altero in exponendis Christi uerbis dißidet. Omnes stupendum hoc mysteriũ uenerãtur: suspiciunt: adorãt. Non ut ab apostolis ipsis primũ, uel ab ecclesia institutũ, sed (sicut est) ab ipso Christo. Cuius uerba (quibus sacramentũ instituit) integra semper manserunt. Quid igitur causæ est, quòd perditi homines, firmatã tanto consensu fidem conantur euertere? Nisi quòd diabolico spiritu perciti, nimio furore, ad perdendam ecclesiã conspirarunt? Dicant obsecro, si ex hominibus est hæc doctrina quam tenet ecclesia, quis primus hanc inuulgauit aut quo tempore cœpit? Nulla est enim hæresis, cuius primus autor, aut quo tempore superseminata sit, nesciatur. Nempe, una hæc fuit patrũ nostrorum diligẽs cura, integritatẽ seruare in ecclesia cœlestis philosophiæ, & apostolicarũ traditionum. Et si quod nouũ & peregrinum dogma subreperet, statim ad apostolicos ritus uel ad scripturas, ueluti ad lydiũ lapidem cõponebant. Quod si dissonum uel alioqui inequale compereretur illicò reijciebant & damnabant; nec patiebantur inter pascua gregis Christi uenena diffundi. Quinimo, nouæ hæresis autorẽ uel ad palinodiã inuitabãt, aut si id facere nollet Christi cõmunione priuabãt. Nec alia de re magis sepius coacta fuit œcumenica cõcilia, quam de approbandis, damnandisue doctrinis. Et nullum certè magis est præsentaneum remedium ad subuertendos hæreticos & euellendos errores.

Contra impijßimũ dogma Arrianũ facta est synodus in nicea bithiniæ congregatis episcopis catholicis tercentum octo & decem, simulq; dãnauit photinũ & sabelium. Qui cũ Arrio dicebãt patrẽ in diuinis maiorẽ filio atq; hinc non esse filium consubstantialem patri.

Contra Macedoniũ episcopum constantinopolitanũ celebratũ est conciliũ Constantinopoli, sub iudicio patrũ centum quinquaginta, quia negabat spiritum sanctum esse deum, cum patre & filio adorandum.

Contra Nestorium, ephesinum cõcilium habitum est in quo aderant episcopi tercentum. Asserebat enim impius iste Christum ex uirgine natum esse purum hominem & aliam personam carnis: aliam personam faciebat deitatis. Neque unum Christum credebat in uerbo & carne, sed separatim, alium filium dei, alium filium hominis esse prædicabat, ita ut uirgo, non dei mater sed hominis diceretur.

In Gangrensi concilio damnatus est Eustachius qui dicebat nuptias non esse bonas, & docebat, quòd nullus in coniugali positus gradu, spem haberet apud deum remißionis peccatorum, neque qui non renunciarent ijs quæ poßidebant. Abominabantur quoque eos qui carnibus uescebantur. Vnde factum est, ut multæ mulieres seductæ: relictis proprijs uiris, uiri quoque uxoribus destitutis, uinculum coniugale dissoluerent, continentiam profitentes, quàm cùm retinere non possent adulteria committebant.

Contra pelagianos, congregatum est concilium Mileuitanū sub innocentio Romano pōtifice, in quo affuit Magnus ecclesiæ doctor Augustinus, & damnauerūt dogma pestiferū pelagij, qui dicebat paruulos nasci sine peccato neq; baptizandos. Docebatq; hominē posse per liberum arbitrium seruare præcepta dei, neq; esse necessariam gratiam specialem, & posse hominem in hac uita esse sine peccato pluraq; alia asserebat contra gratiam redemptionis per Christum.

Possunt & reliqua concilia recenseri, quæ contra hæreses sunt congregata Antistitum solicitudine, ut nullam ferè ob aliam causam conuenerint ex uarijs nationibus & remotis prouincijs tot peritißimi & sanctißimi patres. dicite igitur uos uiri infœlices: si noster error est, quòd credimus uerum Christi corpus & sanguinem adesse in eucharistia, quis huius dogmatis autor extitit? Aut quomodo fieri potuit, ut uniuersus orbis hanc acceptarit doctrinam? Nun in tanta re ambabus auribus obdormierunt patres, uel apertis oculis conniuerunt, alioqui in reliquis omnibus uigilantißimi? proculdubio, inter cæteras solidißimas rationes, quæ uestras falacias subruūt, una hec est non infirma. Quandoquidem nisi catholici patres certius cognouissent, per apertas scripturas, & legitimas apostolorum traditiones, hanc esse ueram fidem, quam tenemus de sacro mysterio, neutiq̄ huiusmodi dogma inualescere permisissent. Quod mehercle si falsum esset, nulla unquàm gens,

magis stolidè atq; imprudẽtius descipuisset. Nulla enim *est, quæ tãto cũ dedecore in crimen idololatriæ incidisset.* Nos *nempè Christi corpus adesse suo mysterio credimus, & diuinum ei latriæ honorem deferimus. Quare quid potest excogitari magis impium, aut turpius, si Christus præsens non est, quẽ nos credimus esse præsentem? Quanquàm uos hoc ipsum opponere soletis, & nos idololatras uocatis, quòd Christum (etiam si præsens sit) in eucharistia adoramus. Quem uel non adorandum prædicatis, aut in cœlo tantum, ubi ad dexteram patris sedet, diuinum & latriæ honorem ipsi exhibetis. Sed post hæc probabimus in hoc uos quoq; (sicut in cæteris) turpiter delirare.* Nam *dei filium, hominem factũ confitemur, eundemq; deũ atq; hominem esse non dubitamus.* Nec *pertimescimus ab arrianis & Turcis stultitiæ argui. & qua fide Christũ deũ esse credimus, ubicunq; ille est, adoramus.* Et *quia in mysterio se adesse, ipse professus est, ibidem quoq; adorandum prædicamus.* Hanc *doctrinam nobis reliquerunt patres, ab apostolis & euangelistis testificatam, ab ipso Christo institutam: cuius ritus per integram successionem ad nos peruenit.* Neq; *ullus homo tam stupendi mysterij (præter Christum) autor fuit.* Nimirum *ergo si perseuerat in ecclesia, & ad finem usquè seculi durabit. (Ipso dicente) ego uobiscum sum, usq; ad consumationem seculi: quòd non solum de diuinitatis præsentia, sed de corporea in sacramento quoq; intelligi potest.* ...

neant quæ pro salute nostra, usque ad finem seculi, fieri uoluit. Itaque sicut saluberrimis patrum concilijs, apostolorum traditionibus, & uerbis Christi, per spiritum sanctum, omnes hæreses semper abolitæ fuerunt. ita nec uestra hæresis diu subsistet. De qua nec inter uos recte conuenit, sed nunc hoc, nunc aliud fingitis & nihil fixum sentitis, inuicem & in nobis ipsismet aduersantes semper contenditis, & absque iudicio impudentissima peruicatia pugnatis, resistentes ueritati, sicut ianes & mambres restiterunt moysi, sic
2. Thi. 3 & uos mente corrupti reprobi circa fidem, ultra non proficietis. Dementia enim uestra manifesta erit omnibus, sicut & illorum fuit.

Quod hæreticorum argumenta quæ fiunt ab eis desumpta ex sacris literis non suffragantur. eis. Sed nobis. Cap. 34.

PRæstigiatores hæretici imposturis & falacijs, arte demonis cõpositis, solẽt falsa sua dogmata munire, Christi, & apostolorum dictis: que cùm falaciter ab ipsis interpretentur simpliciores, Christi fideles facile decipiuntur: præsertim, quia carnali prudentiæ eorum glosule adhereant, & rationis hominis iudicio, quod solet omnem fidei uim perdere. Igitur dicta scripturæ sacræ, quæ putãt in speciem sibi posse suffragari, furtim decerpunt: cõtra eã quam tenemus ueritatem corporis

& sanguinis Christi in eucharistia. Et imprimis (luporum more) caput impetunt, & iugulum ferire moliuntur: quibus concußis nulla reliqua est spes. Ita hi Christi uerba ellidere quærunt, & aduersus eum castra mouent, atq; sui ipsius uerbis hanc ueritatem debellare cõtendunt: & ad id sæpe sæpiusué recurrunt. Ait enim Ioh. 6. Christus, spiritus est qui uiuificat, caro non prodest quicquàm. Itaqué (inquiunt) solo spiritu (qui per fidem est) firmamur, cõsolamur in conscientia, & iustitiã acquirimus, quia spiritus est, qui uiuificat. Non est ergo Christi caro necessaria, quæ nihil prodest, & ad iustitiam hominis non est instituta. Quinimo, qui per esum carnis Christi (quam putant esse in eucharistia) se dicunt solamen conscientiæ assequi, aut in fide roborari, uel consequi remißionem peccatorum, mendaces sunt, & ypocritæ. Nos nihil bonũ unquàm sentiuimus, quia caro non prodest quicquàm. obiect.

Hoc argumentum achilem suæ disputationis existimant, Zuinglius & œcolampadius: synagoge phanaticorum principes, quibus uisum est summam Christianæ religionis in sola fide sic sitam esse, ut nulla externa signa requirantur. Et cardo totius assertionis, in uerbo Christi stabilitur. Quamuis igitur nihil bonæ frugis ex iis sperandum sit, qui nimium addicti sunt impiorum doctrinis, ut iudeus facilius conuerti poßit; quàm phanaticus ad fidem rectam redeat, tamen ipsorum arx qua se muniunt uiriliter subruenda est. rũsio.

Quum enim omnia, fidei solæ, isti ascribunt, ut negent Christi carnem nobis prodesse, simili quoq; argumento, omnia Christi mysteria, qui gessit in carne, inutilia uideri possunt. Frustra ex uirgine natus: frustra passus: & mortuus. Frustra quoq; externa sacramenta instituit: frustra baptizamur. Quia si caro non prodest quicquàm, (modo quo hæretici exponunt) multo minus prodest aqua & cætera ecclesiæ sacramēta. Quis queso, tantas potest impiorum sustinere blasphemias: qui omnem energiam mysteriorum Christi eneruāt & obruunt? Quis hos phreneticos dignabitur responso, qui negant ex usu sacramentorum, fidem firmari, peccata remitti? ad hoc enim à Christo sunt instituta. Haud tamen mirandum est, si hæc, isti in suis conscientijs non sentiant, qui omnem sensum perdiderunt: & obdurue-runt in peccatis. Et quod in seipsis non sentiunt, in alijs fieri non credunt. Potuisset utiq; deus alio modo humanum genus redimere, quam per assumptionem carnis, potuisset & alijs rationibus peccata remittere, & in conscientijs fidem firmare: ueruntamen alto diuinoquē consilio, sic fieri ei complacuit; ad suam ostendendam in nos eximiam charitatem. Et hic modus nostræ infirmitati sanandæ congruentissimus fuit. Quis negat potuisse deum hominem facere, qui peccare non posset? Qui sine cibo & potu perpetuo uiueret? An putamus in altero seculo, has corporales alimonias esse necessarias? Veruntamen diuinæ sapientiæ sic fieri uisum est:

ut dum in hoc mortali corpore sumus, elemẽtorum alimentis ad usum uitæ utamur. Ita pariter non negamus fieri posse, ut quis sola fide (absque sacramentis) saluari poßit: sed dicimus Christum carnem suam, & sanguinẽ in sacramento nobis reliquisse, in cibum & potum, ut nos ad sui amorem inflammaret: quo certi essemus eius beneuolentiæ, & remißionis peccatorum. Sacramenta enim instrumenta sunt diuini fauoris & gratiæ, nõ modo allegoriæ bonorum operum, uel tesseræ distinctionis & profeßiõis (sicut uos improbe docetis) sed sunt quoq; signa diuinæ benignitatis, & clementiæ erga nos: quæ in fide nos confirmant, & certos faciunt nostræ salutis, quam secum afferunt efficaciter, non quia eis sui natura affixa sit, & propter se, sed per Christi institutionem. Horum exempla in scripturis sacris supersunt.

In ueteri testamento per circuncisionem firmauit deus fidem Abrahæ & reliquorũ patrũ deinceps ab eo. ro.4.
Hinc paulus uocat circuncisionem signaculum iustitiæ
fidei, quo scilicet firmiter crederet, se esse patrem om= gẽn.
nium credentium: sicut scriptum est; quia patrem mul= 17. &
tarum gentium posui te ante deum. Et rursum sic, erit 23.
semen tuum sicut stellæ cœli, & arena maris. Per arcũ, gẽn.9
firmauit deus fœdus cum noe, & eius semine: ut nequa= Exo.
quàm ultra interficeretur omnis caro aquis diluuij. In 25.
arca fœderis, statuit deus pactum cum moyse, & filijs iud.6.
israel. Gedeon quoq; signum quæsiuit in uellere, & cer 4.re.
tam expectauit uictoriã, liberauitq; populũ. Ezechias 22.

ſignum accepit ſanitatis in horoſcopo, ut certus fieret ſermonis domini.

Proinde potuiſſe utiq; deus, abſq; huiuſmodi ſignis, per ſpiritum ſuum intimum in cordibus fidelium, firmã ſtatuere fidem illorum: uerum diſpenſatione, ſuæ diuinæ bonitatis, ſicut ſeipſum pro nobis exinaniuit (ut dicit
phi.2. apoſtolus ita ſua ſacramenta nobis accõmodauit. Solent enim homines quodã nature ductu ſphragidis & exter
Virg. nis ſignis uiſibilibus uti, in firmandis fœderibus; unde
lib.8. ſtabant, & cæſa firmabant fœdera porca. In inſtituendis ſiue creandis magiſtratibus: In inueſtituris: & fœudis nobilium, in capienda poſſeſſione & in reliquis id genus multis, & hæc quidem ſigna firmant ea ad quæ ſunt inſtituta, ut quæ acta ſunt ferè irrita habeantur niſi quibuſdam notis & ſignis adprobentur, & confirmentur. Hunc naturalem certificandi uſum obſeruari uoluit Chriſtus in ſua republica. Ideò in nouo teſtamento inſtituit ſigna noſtræ ſalutis, ideſt ſacramenta: quæ Auguſtinus uocat uerba uiſibilia. Vt ſicut diuinis promiſſionibus, quæ per uerbum ſunt, credimus, & abſq; hæſitatione hæremus: ita Chriſti ſacramentis, certã dei uolun
tit.3. tatem aprehendimus. Vnde Paulus ait Deus ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis ſpiritus ſancti, quem effudit in nos abunde. Quæ uerba
Aug. tractans Auguſtinus. Quis (inquit) non intelligat in la
epiſt. uacro regenerationis, ſpem nobis datam ſalutis, futu-
57. ræ? Et quia certa ſpes eſt, tanquàm iam data eſſet

eadem salus nos fecit (inquit) apostolus. Et petrus de hoc mysterio loquens ait. In diebus noe cum fabricaretur arca in qua pauci, i. est octo animae saluae factae sunt per aquam, quod & uos nunc similis formae saluos facit baptisma: non carnis depositio sordium, sed conscientiae bonae interrogatio in deum, per resurrectionē Iesu Christi. Est ergo baptismus, propterea institutus, non ad lauacrũ corporis, sed ad firmandũ foedus conscientiae corā deo, quod est reddere conscientiam certam, de remissione peccatorũ, & hoc in actis apostolicis expressum est, ubi petrus, penitentiam (inquit) agite, & baptizetur unusquisque uestrum in remissionem peccatorum. Itaque, si baptismus (qui per aquam fit) tantam uim habet; ut nos certos reddat, diuini fauoris, & gratiae, quanto putamus, magis cor nostrum dilatari in spe dilectionis & illarescere per fidem, quum sentit sibi paratam esse aeternam salutem per esum & potum corporis & sanguinis Iesu Christi? Dominus enim (ait) qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet uitam aeternam. Quis adeò pusillanimis est, qui cùm audit aeternum filium, tam humiliter se demittere ut semet in pignus expectatae nostrae salutis tradat, spem suam non erigat in beneuolentissimum patrem qui tantum obsidem promissorum suorum nobis dedit? Quis non emollescat in corde? Quis nõ (pio animo) letitiae lachrymas fundat, in perceptione tanti sacramenti? Nihil certè hoc est mirabilius.

1. pe. 3.

act. 2.

Nihil in quo magis liceat gloriari in domino. Magna quippè fuerunt munera, quæ deus patribus nostris in
Exo. deserto contulit: siue cùm manna rorauit: uel e lapide
16.& dulcia pocula ministrauit, aut incorruptas seruauit ue=
deu.8. stes. Hec tamen quia in figura præcesserant, rei ue=ritati comparari non possunt. Quòd si conferantur, sunt fumus & umbra: animalia quoque quæ uel in holocaustis erant; aut in cibum seruabantur sacerdotum, hoc Christi corporis cibo, multo minora erant, quā liceat conferre. Decebat enim ut quanto maius est sacerdotium, tanto hostias, esse præclariores, & quæ offererentur, & quæ usui essent in cibū sacerdotibus. Qui sub moyse lege, erāt polluti, uel fluxu sanguinis, uel cadauerum contactu, sanguine taurorū, & hircorum, uel aqua super cinerem iuuēcæ superfu=
heb.9. sa, mundari poterant: ad emundationem carnis. Quanto magis diuina Christi institutione, corpus Christi fideliter acceptū, & sanguis eius haustus, emundabit corda nostra & animam liberabit ab omni nequitia, & sor=
Io.6. dibus peccati? Non enim Christus dixit. Caro mea non prodest quicquàm, (quæ tantopere fuit necessaria) sed caro non prodest quicquàm; idest carnalis sensus, quem putabant capernaite: sicut supra diximus, cum caput Iohannis interpretaremur in hac re.

obiect. Aliud dictum Christi citant, ex Matheo capite ui=
math. gesimo quarto. Tunc inquit: si quis uobis dixerit, ecce
24. hic est Christus, aut illic, nolite credere: surgent enim

pseudo

pseudo Christi & cætera. Hinc aduersarij putant, posse negari Christũ esse in eucharistia: qui in tot locis assera tur: quot sunt celebrantium altaria. Quia Christus dicit non esse credendũ ista dicentibus: quos uocat pseudo christos. Veruntamen apparet hos uiros stupidos, frigide, & somniculosé, hec ipsa Christi uerba adnotase. rñsio.
Neq; enim de se Christus loquitur, sed de pseudo Christis: qui falaciter sibi Christi nomen arriperent, illis diebus, quibus futura erat tribulatio magna. Qui in ea quoq; tempora inciderunt, quando facta est in Hierusalem, ueluti de theuda & iuda: de quibus in actis apostolorum legimus. Tales post Christum uenerunt, quos act. 5.
cauendos docet. Nihil ergo hic de se loquitur. Quanquàm de regno eius (quod est spirituale in ecclesia) potest intelligi. Quia non est cum obseruatione, sed in toto orbe diffusum: contra donatistas: qui in affrica di= Aug.
cebant solum esse ueram ecclesiam. cõ.do.

Obijciunt & illud pauperes semper habebitis uo= obiect.
biscum, me autem non semper habebitis, & illud Iohan Math.
nis: exiui a patre & ueni in mundum, iterum relinquo 26.
mundum & uado ad patrem. Ecce (inquiunt) quod se ioh. 16
Christus a nobis subtraxit, quomodo igitur nobiscum est in sacramento? Ostendunt isti, solita cœcitate, se non rñsio.
intelligere, quid loquãtur: & inutiliter arguunt: & rerum consequentias, uel non intelligunt, aut se non intelligere fingunt, ut eos qui non intelligunt decipiant. Habent enim hæc dicta Christi, claram ex ipso euangelio

Nihil in quo magis liceat gloriari in domino. Magna quippe fuerunt munera, quæ deus patribus nostris in
Exo. deserto contulit: siue cùm manna rorauit: uel e lapide
16.& dulcia pocula ministrauit; aut incorruptas seruauit ue=
deu.8. stes. Hec tamen quia in figura præcesserant, rei ue=
ritati comparari non possunt. Quòd si conferan=
tur, sunt fumus & umbra: animalia quoque quæ
uel in holocaustis erant; aut in cibum seruaban=
tur sacerdotum, hoc Christi corporis cibo, multo mi=
nora erant, quã liceat conferre. Decebat enim ut quan=
tò maius est sacerdotium, tanto hostias, esse præcla=
riores, & quæ offererentur, & quæ usui essent in cibũ
sacerdotibus. Qui sub moyse lege, erãt polluti, uel fluxu
sanguinis, uel cadauerum contactu, sanguine taurorũ,
& hircorum, uel aqua super cinerem iuuẽcæ superfu=
heb.9. sa, mundari poterant: ad emundationem carnis. Quanto
magis diuina Christi institutione, corpus Christi fideli=
ter acceptũ, & sanguis eius haustus, emundabit corda
nostra & animam liberabit ab omni nequitia, & sor=
Io.6. dibus peccati? Non enim Christus dixit. Caro mea non
prodest quicquàm, (quæ tantopere fuit necessaria) sed
caro non prodest quicquàm; idest carnalis sensus, quem
putabant capernaite: sicut supra diximus, cum caput
Iohannis interpretaremur in hac re.

obiect. Aliud dictum Christi citant, ex Matheo capite ui=
math. gesimo quarto. Tunc inquit: si quis uobis dixerit, ecce
24. hic est Christus, aut illic, nolite credere: surgent enim
pseudo

pseudo Christi & cætera. Hinc aduersarij putant, posse *negari Christũ esse in eucharistia: qui in tot locis assera tur: quot sunt celebrantium altaria.* Quia *Christus dicit non esse credendũ ista dicentibus: quos uocat pseudo christos.* Veruntamen apparet hos uiros *stupidos, frigidè, & somniculosè, hec ipsa Christi uerba adnotase.* rũsio.
Neq; *enim de se Christus loquitur, sed de pseudo Christis: qui falaciter sibi Christi nomen arriperent, illis diebus, quibus futura erat tribulatio magna.* Qui *in ea quoq; tempora inciderunt, quando facta est in* Hierusalem, *ueluti de theuda & iuda: de quibus in actis apostolorum legimus.* Tales *post* Christum *uenerunt, quos* act. 5.
cauendos docet. Nihil *ergo hic de se loquitur.* Quanquàm *de regno eius (quod est spirituale in ecclesia) potest intelligi.* Quia *non est cum obseruatione, sed in toto orbe diffusum: contra donatistas: qui in affrica dicebant solum esse ueram ecclesinm.* Aug. cõ. do.

Obijciunt *& illud pauperes semper habebitis uobiscum, me autem non semper habebitis, & illud* Iohannis: *exiui a patre & ueni in mundum, iterum relinquo mundum & uado ad patrem.* Ecce *(inquiunt) quod se* Christus *a nobis subtraxit, quomodo igitur nobiscum est in sacramento?* Ostendunt *isti, solita cæcitate, se non intelligere, quid loquãtur: & inutiliter arguunt: & rerum consequentias, uel non intelligunt, aut se non intelligere fingunt, ut eos qui non intelligunt decipiant.* Habent *enim hæc dicta Christi, claram ex ipso euangelio* obiect. Math. 26. ioh. 16 rũsio.

responsionem. Non enim omnimodo suam præsentiam
math. negat Christus discipulis. Qui cum suis esse uult, usquè
28. ad consumationem seculi, qui etiam ait, ubicunquè sunt
math. duo uel tres congregati in nomine meo, ibi in medio
18. illorum sum. Sed in prioribus dictis, loquitur Christus de familiari consuetudine, & conspicua conuersatione, atquè communi alloquio, quibus modis, solent pauperes cum diuitibus conuersari: ut copia diuitis inopiam subleuet pauperum, hac ratione Christus mundum erat relicturus: uerè nihilominus præsentia spirituali & inuisibili, (reali tamen) præcipuè in eucharistia uoluit aßistere cum suis.

obiect. Solent Apostoli uerba detorquere ad suum erro-
col. 3. rem, quæ scripsit collocensibus, ut probent Christum, nullibi esse quàm in cœlo. Paulus enim inquit; si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est ad dexteram dei sedens: argunt ergo & dicunt. Si ad dexteram dei, Christus est sursum, quo-
rñsio. modo in sacramento est deorsum in terris? Hanc rationem non uident cœci homines, non pro se sed contra se, esse: & telum quod in nos iaciunt, in eos reijcimus: quo nos ictu ferire uolunt: ipsi percutiuntur. Et id quidem sæpius facere solent, de testimonijs sacrarum scripturarum, quæ nobis, magis quàm illis deseruiunt: ueluti hoc testimonium desumptum ab apostolo, quod fermè solum sufficit, ad expugnationem eorum in hac re. Quandoquidem si credant, ad dexteram dei pa-

tris Christum esse, quomodo audeant negare non esse in sacramēto, sicut uoluit? Dicant quæso, ubi est deus pater? Vbi eius dextera, ad quā sedet Christus? An in aliquo loco cœli deum patrem affigitis; qui habeat quoq; (ueluti corpora) suū dexterum & sinistrum? An deū fortasse fingitis, cogitatione carnali, qui membra habeat in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, sicut uadiani putant, quos Antropomorphitas alij uocant? Non puto uos adeò rusticos, ut hæc fingatis de deo. Ecce igitur quòd armis quibus alios impetitis, ipsimet, (uelut Goliath) occidimini. Nequé enim more hominum, sedet Christus ad dexterā patris, sed quia per omnia, æqualis est patri; omnisciens, omnipotens, cum patre: ubi esse uult ibi est, quia pater ubiquè est. Ideoquè dixit, & factum est. Ipse dixit hoc est corpus meum, & hoc facite. Nos id facimus quod ipse fieri iussit, uerum ergo est corpus eius, quod uos negatis. Proin conuincimini, uos non credere Christum esse ad dexteram dei patris. Ideò uobis ipsis contraria dicitis. Neq; ex eo quòd in aliquo loco cœli est statim necessario sequitur, non esse alibi. Cùm enim sit omnipotens & infinitus, in locis infinitis (manēte etiā ueri corporis forma) esse potest. Nec locorū diuersitas, uarietatē facit in corpore. Quid enim uobis admirandum magis uidetur? An quòd per oēs suas dimensiones simul & adequate (ut dici solet) duo corpora sint in uno & eodē loco, an quòd unū corpus in duobus locis sit? putauit Aristotiles, Arist. 4.

phi. *quod si duo corpora esse possent simul, per magnitudinum penetrationem, non esse inconueniens simul infinitâ esse corpora. Hinc minus impossibile existimandum est, posse unum corpus esse in diuersis locis quam ut simul sint duo corpora.* Hoc nos credimus esse factum, quando
iob.20 *post resurrectionem Iesus Christus, ianuis clausis intrauit in cœnaculum ad discipulos, quia oportuit fieri adequatam penetrationẽ magnitudinis parietis & corporis Christi, quod proculdubio uerum erat & sua magnitudine quantũ: ac palpabile: sicut ipse dixit palpate, & uidete quia spiritus carnem & ossa non habet: sicut*
lu.24. *me: uidetis habere.* Non puto uos adeò impios, ueluti Iulianus & Celsus, qui hæc Chrysti mysteria irridebant, si igitur Christus, hoc miraculum admirandum peregit: quod iudicio rationis, maius est, cur non quod minus est poterit? Nullo ergo modo ambigendum est in pluribus locis esse, idest in pluribus hostijs sui mysterij sacri. Quia ei totus mundus unus est locus, qui pugillo continet uniuersa.

Deniquè putant .b. Apostolum suam adprobasse sen
1.cor. tentiam, corinthijs scribens: cùm ait. *Nolo uos ignorare*
10. *fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerũt, & omnes mare transierunt: & omnes in moyse baptizati sunt, in nube & in mari: & omnes eandem escam spiritualem manducauerunt: & omnes eundem potum spiritualem biberunt. Bibebant autem de spirituali consequente eos petra, petra autẽ erat Christus.* Hæc beati

Apostoli sententia in spetie uidetur fauere aduersarijs: qui ea sese fortiter communiunt, & ueluti inuictißimo clipeo catholicis resistunt, dicentes: si eandem escam obiect. *spiritualem manducauerunt patres nostri, quam nos quoq; manducamus & eundem quoq; potum spiritualem biberunt: quem nos bibimus· certè illis non erat in carne & sanguine præsens Christus, sed in figura & fide tantum aprehendebatur, (quod est in spiritu) quomodo igitur in corpore & sanguine nobis præsens aderit, quem comedamus? Alioqui non eandem escam, illi habuerunt quam nos habemus: neq; eundem potum: quod dicto Apostoli est contrarium.*

Hic *clipeus phanaticos non defendit, sed percutit,* rñsio. *& contra ardentes ueritatis sagitas nõ subsistit.* Quia *non id agit* Paulus *quod isti putant: sed corinthios admonet, exemplo iudeorum in deserto peregrinantium, donec ad promissam terram peruenirent.* Qui, *tametsi plurima dei dona, isthic in deserto: & in egipto suscepissent, tamen cùm essent ingrati, multis cladibus afflicti sunt: & multi ex eis in deserto perierunt.* Nequé *illis quicquàm profuit, quòd tanta dei dona suscepissent.* Ita*qué nos in corinthijs admonet, ne efferamur, & superbiamus: licet plura, quam illi, dona per Christum collata habeamus.* Nequaquàm *ergo paulus illud pronomen relatiuum, eandem, eò refert ut intelligamus, patres nostros eandem escam, & eũdem potum habuisse, de quo saluator ait.* Hoc *est corpus meum.* Hic *est san-*

guis meus. Illi neque corpus, neque sanguinem Christi sumpserũt. Nos uerò corpus & sanguinem Christi, sub speciebus panis & uini realiter & sacramentaliter sumimus, & manducamus. Quapropter ipse Apostolus eleganti collatione, beneficia nobis à Christo concessa, confert cum eis que patres habuerunt. Quibus si nos etiã male usi fuerimus, peribimus, sicut & illi perierũt. Veluti dicat, quanquàm omnes baptizati sumus in nomine patris & filij & spiritus sancti, & omnes idem corpus Christi manducamus, & eundem sanguinẽ bibimus, non ob id tamen deo accepti erimus. Si impiã agamus uitam, post hæc beneficia dei accepta: sicut neque profuit patribus nostris, quod idem manna mãducauerint, eandem aquam biberint, idem mare transierint, tam boni quàm mali. Qui omnes iisdem beneficijs donati sunt: sed multi tamen ex eis sunt reprobati, nec fuerunt introducti in promissam terram. Quapropter non eandem escam, quàm nos, mãducauerunt patres nostri, nec eundem potum biberunt, omnia enim in figura erãt eis. Nobis ueritas data est per Iesum Christum, quem in mysterio sub speciebus panis & uini recipimus. In hũc
chrys. sensum uerba Pauli interpretatur Chrysostomus. Animaduertitis (inquit) pauli sapientiam, quo pacto utrorumq; hoc est, & illorũ quæ Iudæis prius exhibuit, & istorum quæ iam exhibet Christianis, Christum largitorem ostendit, & in hac parte figuram iuxta ueritatem adducit. Qui enim illa illis præbuit (inquit) hic

etiam hanc præparauit mensam & ipse idem, & illos per mare, & te per baptismum adducit. Et illis manna & aquam: tibi uerò corpus & sanguinem dedit. Et ipsius munera huiusmodi sunt. Ecce mare, manna, aqua, figuræ fuerunt. Baptismus autem & corpus & sanguis Christi ipsa ueritas, sic Chrysostomus.

Hinc apparet falax ratio improborum sacramētariorum, quæ propterea facta est, quia sensum pauli nō attingunt: neq; se paulo accommodant, sed paulum ad se trahere uolunt repugnantē. Haud tamen ego multū aduersabor eorū expositioni, si dixerint patres nostros, sic eundem cibum spiritualem & potum spiritualē habuisse ut pariter dicant, illos in figura sumpsisse, nos in ueritate. Nā ipsi manna edebant, Christū figurans & absentē tunc repræsentans, nos eucharistiam sumimus in ueritate Christū cōtinētē, & in hāc sententiā loquitur Augustinus, libro primo de utilitate agēdæ penitētiæ. Aug. Circa medium, qui post reliqua exponens hoc dictū pauli sic ait, quicunque in manna Christum intellexerunt, eundem quem nos cibum spiritualem manducauerunt, eundemq; potum quem nos, sed spiritualem, qui fide capiebatur non qui in corpore hauriebatur, sic Augustinus. Qui non multum distat à sensu quem diximus esse Chrysostomi, licet etiam Augustino uim facere uelint apostatæ, ut uirū catholicum suæ impiæ doctrinæ faciant Antistitem: inaniter tamen laborant, quia cùm malleus sit hæreticorum, desertores ecclesiæ, nunquam

defendit: sed suis scriptis confundit: & destruit.

Quòd signis & coniecturis conantur hæretici ueritatem eucharistiæ impugnare, sed frustra. Cap. 35.

zuin. in exe obiect. PRæter obiecta quæ fiunt ex sacris litteris desumpta, putauit Zuinglius huius erroris Antesignanus & defensor, magniponderis argumentum esse. Quòd apostoli hunc Christi sermonem non intellexerunt, quando dixit. Hoc est corpus meum, quod pro uobis tradetur non intellexerunt (inquam) naturaliter intelligendum. Hinc concludit. Ergo non fuit corpus

rñsio. Christi naturaliter. Hæc eius ratio omni ex parte peccat, primum quia ex assumpto nõ consequitur, quod infertur, multa enim sunt, quæ dixit Iesus & fecit, & ea tamen cùm dicerentur, & fierent exactè, & plenè, nõ

ioh. 2. cognouerunt apostoli. Cùm dixit Christus soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud: uerisimile est, apostolos tunc aperte non intellexisse, sed quum resurrexisset à mortuis (inquit iohannes) tunc recordati sunt, quòd de suo corpore dixisset: multa huiusmodi facta & dicta comperies in scripturis. Deindè nõ constat quod assumit non intellexisse scilicet apostolos, Christum locutum esse, de suo corpore naturali. Verum tamen (superba arrogantia, confidens, Zuinglius) iactabat se euidentissimis probasse coniecturis, quibus nõ

posset a nobis respõderi: adeò ut quicquid dixerimus impertinens esset, & nihil ad rhombum, ut est in prouerbio. ô improbam iactantiam? Sed antequam feratur iudicium, præstat has audire coniecturas tam ualidas.

Quia apostoli (inquit) non sunt admirati, alioquì ad sublimia cuncta teneri ac rudes. zuing

Hæc coniectura omnino leuis est, ideò enim admirati non sunt, quia de hoc mysterio iam pridem à Christo fuerant edocti, cùm diceret, & panis quem ego dabo caro mea est, quam ego dabo pro mundi uita. & cùm plures tunc abijssent, ipsi cum uerbo uitæ permanserũt. Quòd si coniecturis agendum est: hæc sufficiens est cõiectura: intellexisse omnes qui erant in synagoga, loqui Christum de sua naturali carne, in Iohannis euangelio, alioquì nec illi per incredulitatem desciuissent à Christo: nec Apostoli tanta cum subiectione & confeßione fidei se submisissent. rñsio.

Neque ualet si dixeris, apostolos & reliquos, qui aderant in synagoga, putasse quidem Christum loqui de sua carne naturali, ueruntamen non de ea, sed de fide in eum loquebatur. obiect.

Respondemus iuxta ea quæ uos dicere soletis, cur ergo Christus uerbis claris eos non edocuit, qui (te etiam teste) solebat hoc facere nec unquàm præbuit scandalum doctrinæ? rñsio.

At dicetis id fecisse Christum, sed illi impatientes doctrinæ, Christi sermonem ultra non sustinuerunt. obiect.

Vuiſſo. Hoc certè falſum eſt. Quia iam audierant Chriſtum loquentem & rectè docentẽ. Dixerat enim hoc uos ſcandalizat, ſi ergo uideritis filium hominis ubi erat prius? Spiritus eſt qui uiuificat, caro non prodeſt quicquã. & Ioh.6. cætera quæ ſupradiximus. Ideò ſicut Chriſtus loquebatur ita intellexerunt eũ loqui de ſua carne edenda, quæ erat deitate unita, nõ ſola, quæ nihil prodeſt, & illi tamen ſcandalizati ſunt, profectò ſi de ſola fide in eũ locutus eſſet non fuiſſent ſcandalizati, (licet res magna eſſet) nec Chriſtus tãta autoritate uerborũ, eſſet affatus ſuos diſcipulos, an cum illis uellent abire: hę certè uerborum circunſtantiæ apertæ coniecturæ ſunt, locutum fuiſſe in Iohãne de naturali ſua carne edenda, propterea ijs cõiecturis ad moniti priſci patres, ferè omnes, caput ſextum Iohannis de naturali Chriſti carne interpretantur. Haud igitur mirũ uideatur ſi in cœna nõ ſunt admirati diſcipuli, qui erant memores ſermonis domini, in quo promiſerat ſe daturum carnem ſuam, in cibum per myſterium, & in precium pro mundi uita.

Zuin. Proſequitur Zuinglius & addit alias coniecturas. Nempè hanc, Apoſtoli non adorauerũt: nos adoramus. Ergo apoſtoli nõ habuerunt eandem de cœna nobiſcum ſententiam. Item Chriſtus non eos coarguit, quod nihil talium facerent: ergo huiuſmodi non requirebantur, nuſquàm enim tacuit, ubi error potuit ſub oriri. Item Apoſtoli nihil ſunt cunctati, nihil reſponſarũt, nihil interrogarunt: & tamen horum nihil fecerunt, quæ nos,

non habuerunt ergo eandem de hac re nobiscum intelligentiam. Item Thomas renuit credere Christum à 10.20.
mortuis resurrexisse: quod si in cœna credidisset, se corpus Christi edere, non potuisset tam peruicaciter esse incredulus. Item quod Iacobus hortatur, ut si quis inter Iac. 5.
nos ægrotet, seniores apud eum conueniant: pro ipso orent: ungant: cur non dixit Christi corpus cum eo participent? Præsertim quum perhibeamus fidem, hoc esu stabiliri, peccata remitti? Item una fides (inquit eph. 4.
Apostolus) unus baptismus, cur non commanducati corporis nō meminit? Si enim corporeæ carnis Christi, esus in ecclesia requireretur, non pepercisset dicere, & unum Christi corpus edimus, ut unum illius corpus simus hæc de coniecturis Zuinglij.

Quibus primum hæc est absoluta respōsio, non om- rñsio.
nia scripta esse quæ dixit & fecit Iesus quoniam si singula scriberentur inquit Iohannes nec ipsum arbitror Ioh.
mundum capere posse, nec pariter scripta sunt omnia quæ dixerunt & fecerunt Apostoli. Attamen sincera fide instructi scriptis patrum catholicorum, & antiquorū legitimis traditionibus, credimus Christi corpus adorasse apostolos. Quod aūt dicit Christū non coarguisse eos, & ipsi nihil sunt cunctati & nihil responsarūt: eò fuit quia nihil dubitarunt, sed Christi uerbis simpliciter crediderunt. Quapropter non potuit error suboriri, ubi quis Christi uerbis credit. Symbolistæ qui uerbis Christi non credunt, mente semper anxij sunt, & ad

suas ineptias omnia pertrahunt, & quales ipsi sunt tales fingunt apostolos fuisse. Quod de Thoma dicit, miror cur non prius meminit de petro, qui fieri posset, ut Christum negaret, cuius corpus manducauerat? & de Iuda cur mentionē non facit, qui si corpus Christi edisset non potuisset tā atrox Christi esse proditor, hæc debuit Zuinglius adnotare, ad loci amplificationē. Quasi, scilicet diuina dispensatione, non omnia fiant; ut & alij decidant aliquando à fide, & in peccata (carnis infirmitate, labantur) sicut Petrus & Thomas, qui in fide & bona cōscientia Christi corpus comederant. Vel alij in malitia perseuerent (sicut iudas) qui in ea perfida conscientia qua Christum suscepit, laqueo se suspendit. Miror autem cur non integrè, sed troncatim paulū aduocet, qui eo capite præmiserat, soliciti seruare unitatē spiritus in uinculo pacis: & subdit unum corpus, & unus spiritus, sicut uocati estis in una spe uocationis uestræ, & unus dominus; una fides, unum baptisma. Opinor maliciosè prætermisisse, quod putauit posse redargui; cùm Paulus dicat, nos unum corpus esse: quo procul dubio eam significat unionem, quæ est cùm Christo capite per eius sacramenta, baptismum & eucharistiam, & non oportuit participationem carnis Christi nominari, de qua toties dixerat, & scripserat: ut apparet in eius epistolis. Deindè etiam si carnis Christi mentionē fecisset, non minus essent infideles, impij sacramentarij, qui si uni dicto scripturæ claro, nō credunt: minus cre-

dent, si bis mille adduceris. Non *ualet igitur argumentum, quod ex coniecturis factum est.* Non *cessat impius ineptas alias accersere cōiecturas, & quia nulla habet (pro sua insania asserenda) solida fundamenta, addit signa, & instrumenta, & primo de signis sic fabulatur.*

Quod per omnia templa & basilicas quæ cis Renū *sunt, domicilia iu quibus sacramenta custodiuntur, non uetustiora sunt ducentis annis, aut paulo plus, signum est, ante tot annos eucharistiæ sacramentum, pro eo non habitum loco, quo nos habemus.* Tiguri *urbe uetustißima, cùm hoc anno,* Aræ *omnes tollerentur; nulla prorsus inuenta est; quæ cum templo excitata esset.* Quid *an hoc signum non est, ad octirgentos hinc annos* Aras *nondum fuisse?* Hæc Zuinglius *de signis.* zuing

Tam *facile est ijs stolidis, & insanis argumentis, respondere; ut ferè pudeat.* Argut *negatiuè ex basilicis cis* Renum *& eorū domicilijs, & aris, & ex loco uno tiguri, que singularia sunt; ad uniuersum orbem.* Veluti *impoßibile esset, alibi* Aras *esse, & domicilia; quia tiguri non fuissent.* Hoc *argumentum ad commouendos rusticos composuit: quos contra ecclesiam &* Nobiles *armauerat, ad defectionem, sapientes uerò, & eos qui rationis iudicio pollent: nec latum quidem semidigitum mouet.* Vtroq; *enim pede claudicat, quia & falax est, & elenchicum, & quod assumitur quoq; uiciosum est, & inane.* Quid *si domicilia sacra, & aræ quæ uetustiora non erant ducentis annis, rediuiua facta fuerint, uel* rñsio.

penitus renouata? Qui consequitur ante ea tempora nō fuisse, si antiquioribus successerint? Fieri potest, ut alia fuerint domicilia, & aliæ Aræ, etiā si illa non fuerint: quæ non admodum antiqua uidebantur. Constat autem altaria fuisse, etiam temporibus apostorum: de quibus
Clem. *meminit Clemens petri successor, canone tertio, cū ait. Si quis episcopus, aut presbiter, præter ordinationem domini, alia quædam in sacrificio offerat: super altari, & deinceps quoquè semper fuerunt altaria, in ecclesia dei. Similiter sacraria de quibus in concilio Matisco-*
Pelag. *nensi tempore Pelagij papæ: qui fuit ante Gregoriū magnum, Anno domini quingentesimo septuagesimo nono. Fuisse tamen anteà apparet, ex concilio Arela-*
Leo. *tensi, sub Leone pontifice eius nominis primo. Hic fuit anno salutis quater centesimo quadragesimo secundo. Et firmiter credendum est, usum sacrariorū multo anteà fuisse in ecclesia.*

At uide; quid memoret uir impius, quum ait, eo anno fuisse omnes Aras sublatas è templis tiguri, nempè ipso huius scelesti facinoris autore, quo nunquàm in ecclesia auditum est magis impium. Præter enim quod (stoliditatem Yconoclastarum secuti) omnes imagines sanctorum, & Christi sustulerunt, (in sensum reprobum conuersi) sacra quoquè uasa, in usum diuinorum mysteriorum deo dicata, prophanauerunt: dei iudicium non pertimescentes. Quod certè demonstratum est in Gebenensi ciuitate, contra quendam qui

cognomento dictus est Bizansonus, qui cùm in inicijs schismaticæ doctrinæ, ex primoribus esset ciuitatis effectus, ex uili & incognito genere, consul creatus, ut aliquod monumentum de se ciuibus relinqueret, (neglecta Christi religione) post sublatas imagines è tēplis omnibus: ad exemplum Tigurorum: cum quibus scelestißimū fœdus inierant: primus ausus est, sacratam domini mensam lapideam, quæ ad maius altare primatis ecclesiæ fuerat consecrata, & super quam toties consumatum fuerat, sacrosanctum sacrificium corporis & sanguinis domini; ausus est (inquàm) Atheus ille, auferre de loco suo mensam illam sacram lapideam, quadram, quam (contumelie causa & in opprobrium) posuit in platea ciuitatis ad supplicium damnatorum; super quam (distractis corporibus per carnificem) sanguis noxius effunderetur. ô rem impijßimam? ô scelus horrēdum? ô puniendum facinus inauditum? Sed audite uiri fideles, quid huic beluæ arrogantißimæ, iusto dei accidit iudicio. Non secus, atquè perillus seu pericles ille, ita hic arti suæ debitum præmium sustulit. Quemadmodum enim ille primus omnium iustißima passus est, sua ipsius excellenti fruens industria, sic iste perillus alter, primus pœnas dedit iustißimas, super eo (quem prophanandum posuerat) lapide, noxium per carnificem fundens sanguinem, proditionis crimine damnatus. Et quod cæteris parauerat (sicut Aman mordocheo) ipse supplicium tulit. exemplum admirādū.

hest. 2.

Hic igitur gloriatur in re peßima, subindicans se fuisse illius sceleris autorem. Nec tamen ipse etiam iustā pœnam diuinæ ultionis effugit. Nam cùm, ob suā hæresim inter Heluetios, rusticorum seditionē aduersus nobiles & magistratum excitasset, tribus prælijs uicti tigurini (quorum erat factionis) in primo conflictu miserrimè cæsus est; cùm cæteros hortaretur ad pugnam. Cuius corpus inuentum ab hostibus est traditum flāmis. horū igitur exemplo discite infœlices, inter sanctum & prophanum habere distantiam, inter polutum & mundum intelligere. Sed abundè iam responsum est ad coniecturas, quas desumpsit ex signis; quæ quales sint, nemo non uidet.

Ezec. 22.

Zuin. obiect. *Obijcit coniecturas alias, non minus ineptas & ridiculas; ex instrumentis: & semper arguit negatiue à parte ad totum: à tiguro ad orbem uniuersum, & tamen putat sua argumenta, potiora nostris omnibus sic enim ait.*

Instrumenta habet collegium nostrū tigurinū annos nata plus septingentos, in quibus nulla misse fit mentio. ordinis Benedictini, ac bernardini monachi, paßim inter heluetios, sic sunt instituti, ut corporis dominici, aut missæ, nulla fiat mentio in diplomatis eorum; etiam si quidam intra tercentos annos instituti sunt. Atque hec omnia, similiaque, si perpetuo reijcitis, uera tamen sunt, & potiora uestris omnibus sic Zuinglius in nenijs confidens nimium.

Hæretici non una uia incedunt, sed ueluti tortuosi serpentes, distorquent semitas. Catholici uerò uia regia ambulant, in rectitudinem: & in uijs domini recta docent. Illi repugnantissimas opiniones constituunt, proprijs sensibus inhærentes: & tamen sibi sapientes sunt de quibus ait Esaias. Vé qui sapientes estis in oculis uestris, & coram uobismetipsis prudentes. Quapropter isti leuissimis & falsis argumentationibus, utentes, per sophisticas cauillationes simplices desipiunt. Sed si quis, uel micam salis habeat, statim eorum præstigia sentit, & retia fugit. Igitur nisi quis omninò cœcus est, Zuinglij falacias uidet. Quid enim, si in instrumẽtis collegij Tigurini, nulla fit mentio missæ? Nonne alibi fuerunt, & sunt infinita penè instrumenta, & ueridica scripta, quæ testantur ante annos plus mille, & temporibus etiam apostolorũ fuisse missam in usu, à dño institutam? & (ut recentiora omittam, testimonia) antiquiora deduco, De Missa fit mentio in concilio Aurelianensi sub Hormisda pontifice, & Clodoueo rege Franciæ: qui fuerunt ante mille annos. Et ante hos Leo papa, epistola septuagesima nona. Ante hunc, Soter: ante Soterũ, Thelesphorus: ante Thelesphorum, Alexander: ante Alexandrum, Euaristus: ante Euaristum Clemens: qui fuit post. b. Petrum. Et in canone Apostolorum tertio, fit mentio oblationum. Cùm igitur sic manifestè appareat, fucatum mendacium istius: & suorum qui eius impietati consentiunt, quis est tam stolidus & mente do-

solutio

Esa. 5.

lusus? Qui eis credat in reliquis? Cũ ijs digitis noctu mi care nõ est tutum, qui interdiu, clara luce defraudant. Quapropter eorũ uerba deceptoria sunt & stoliditatis plena, & quemadmodũ qui diuitijs & opibus inhiant, omnia sibi licere putant; & clausis oculis per phas & nephas (ut dici solet) omnia cõgerunt, & congregãt. sic iste miserrimus, quùm sumpserit impijssimũ dogma defendendum, simul omnia argumentationũ genera sumit; miscet: & cõfundit: repugnantes quoq; scripturas uiolat: & conspurcat: ut qui rationibus uincere nõ potest, multiloquio, & improba præsumptione; uictor appareat. At de Zuinglij delirijs & uanis coniecturis, sat dictum est.

Quod hæretici patrũ dictis abutuntur ad suã hæresim præsertim Augustini & quomodo uere intelligantur. Cap. 36.

PORRO præter ea, quæ obijciunt hæretici ex sacris litteris, desumpta, auxiliares quærunt copias, ex orthodoxorum patrum sententijs; quas aut peruertunt, aut immutant, uel mutilitas assumunt, ut uel nolentes, cogant in suis castris militare. Et in hac re mehercule oportet esse prudentes, sicut serpentes; & patrũ dicta sic ad amussim librare, & dirrigere ad regulas fidei: ne horũ quoq; pretenso fauore, simplices perdant. Neq; uerò patrũ dictis sic nituntur hæretici, quòd eis credant, quos pro arbitrio suæ præsumptionis, con-

(margin: math. 10.)

tẽnunt, & negãt: sed ad fallendum modo utuntur, adductis sententiarum uerbis; uerum tamen sensum occludentes ueluti qui auiculas opertis funibus aucupio decipiunt, ita ij uenenũ sub melito pane opperientes, Christi ouicularum animas crudeliter occidunt.

Quare si humili & candido animo, orthodoxorũ patrum sententiæ colliniantur, nihil inuenias, quòd falso dogmati istorũ concinnat. Cùm uerò sacramenta, sæpe multarũ rerũ sint signa, solent hæretici dicta patrum, quæ catholico sensu dicta sunt, ad sua somnia cõtorquere: & ne in pluribus adserendis longiores simus, rem ipsam propius intueamur. Nempè in mysterio eucharistiæ, plura admirãda licet intueri, unũ (quod impij negant) uerum Christi corpus & uerus sanguis, (iuxta Christi uerbũ (que catholica fides tenet, isthic in sacramẽto, & significari, & esse ueraciter. Alterũ est, quòd uniuersum corpus ecclesiæ eo mysterio significari, non ambigimus, in pane scilicet & uino, quæ cum ex multis sint, in unã tamen confluunt naturã. Ita & fideles cum cor. 11 *multi sint unum fiunt corpus; cuius caput Christus. De hac fidelium unione, quæ in sacramento eucharistiæ repræsentatur. Sæpius patres loquũtur, præsertim Augustinus, qui tamẽ nõ negat naturale Christi corpus adesse, sed alibi quoquè affirmat manifestè, sicuti diximus.*

Quod uerò Augustinus, & reliqui catholici ad partem rei significatæ, aliquando hoc Christi mysterium contraxerunt, de Corpore (quod est ecclesia) loquẽtes,

Hæretici ad totum mysterium extendunt. Et ubi, est, pro significat, in uerbis Christi potest interpretari, quando sacramentum (panis & uini nomine) unionem ecclesiæ designat illi ipsi perperam, ad naturale Christi corpus unice applicant: ut ipsum dumtaxat significari asserant, non realiter contineri. Atq; hoc commento omnes pene patrum sententias de hoc mysterio peruerterunt. Verumtamen si quæ nunc diximus, sedulo animaduertimus, hæreticorum omnes falacias, haud dubio detegemus, & quos putant, suæ uesaniæ esse consortes, intelligemus magis suæ esse impietatis auersores.

Obiect. Verumtamen, solent aduersarij obijcere locum Augustini, qui uidetur eis fauere: nec per prædicta posse resolui. Is locus est libro tertio de doctrina Christiana capite sextodecimo. Cùm præmisisset regulam, de figuratis locutionibus in scripturis: sic ait. Si flagitium, aut facinus uideatur iubere, figurata est locutio. Et loco exempli subiungit, domini uerba: nisi manducaueritis (inquit) carnem filij hominis & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis. Facinus (inquit Augustinus) uel flagitium uidetur iubere, figura est ergo: præcipiens passioni dominicæ esse cõmunicandũ, & suauiter atq; utiliter recondendũ in memoria: quòd pro nobis caro eius crucifixa, & uulnerata sit.

Aug. 3. de doct. christ. c. 16.

Resolutio. Hoc certè dictum Augustini, habet nonnullam speciem probationis eius, quod intendunt: Attamen nõ tanti estimandum est, ut possit subuertere hoc nostrum

catholicum dogma: uel etiam reliqua Augustini testimonia: quæ in hac re proculdubio nostram affirmant sententiam. Nec est putandum in hoc tam grandi negotio quod sibi ipsi repugnantia dicat: & contra cæteros catholicos quorum scripta uiderat, & laudauerat: qui omnes nostræ fidei ueritatem affirmant sicut monstrauimus. Proinde (supposita eius fide) superiori dicto facile est respondere: ut dicamus, non aliter debere interpretari, quàm quomodo Christus uerba sua uoluit intelligi: quãdo ipse uisus est capernaitis flagitiũ præcipere. Neq; Augustinus (uice exempli) Christi uerba aduocasset, nisi Christus aliter esse intelligẽda quàm pre se ferebant demonstrasset. Huius ergo facinoris horrorem, Christus excußit, quum dixit, uerba quæ loquor uobis spiritus & uita sunt. Ac si dicat, ne me putetis facinus aut flagitium præcipere, locutio enim mea figurata est; non per tropum, aut symbolum sed in mysterio spiritualiter intelligenda. Quoniam non iam manducaturi estis meam carnem, sicut carnes brutorum, quas cultris laniatis, & scinditis, dentibusq; diuiditis. Si hoc modo proponerem carnem meã esse manducandam, facinus uiderer præcipere: sed diuiniori modo sub inuolucro panis & uini (idest eorum accidentibus) carnem meam, non solam, sed diuinitati unitam: manducaturi estis.

Hunc sensum uerborum Christi, uocat Augustinus figuratam locutionem: quia hoc sensu, neq; flagitiũ, neq;

facinus, uiletur præcipere. Et reuera *figurata locutio est: quia magis reconditum habent sensum, quàm præ se uerba ferant.* Hæc *est uera huius loci* Augustini *intelligentia: quæ ipsum Christum habet uerum interpretē, ut non aliunde peregrinus sensus adferri possit. Qui meliorem quærit interpretem in Christum peccat, & blasphemus est, ac nomen Christi iniuste possidet. Quòd uerò subdit* Augustinus, *præcipiens dominus passioni suæ communicandum esse, & suauiter recondendum in memoria ad illud referendum est, quod Christus dixit in institutione Cœnæ.* Hoc *quotiēscunq; feceritis, in mei memoriam facietis.* Quæ *omnia supra suo loco, abunde sunt exposita.*

Aug. obiect. ca. 12. Aliud *dictum* Augustini, *producunt aduersarij, ex eius libro, contra Admantum Manichei discipulum; qui sic ait.* Nam *ex eo quod scriptum est, sanguinem pecoris animam eius esse, præter id quod supra dixi, non ad me pertinere, quid agatur de pecoris anima: possum etiam (inquit* Augustinus*) interpretari præceptum illud in signo esse positum.* Non *enim dominus dubitauit dicere,* Hoc *est corpus meum, cum signum daret corporis sui.* Sic Augustinus. Hanc *sententiam ita pro se positam opinantur symbolistæ, ut elui omnino non possit, aut sufficientur resolui: quin semper adpareant maculæ, referentes* Augustini, *eam esse fidem; Christum non reipsa, sed in figura & ueluti in signo adesse mysterio.* Quoniam *(inquiunt) non uno in*

loco, sed pluribus, suam apperuit mentem de hac re etiam. Qui ad Bonifacium scribens epistola uigesima tertia, dicit, sacramenta plerunque uocari nominibus earum rerum, quarum sunt sacramenta. Et pro exemplo subijcit. Sicut sacramentum corporis Christi, corpus Christi est, & sacramentum sanguinis Christi, sanguis Christi est, ita sacramentum fidei, fides est, & in libro aduersus faustum, uigeßimo capite uigeßimo primo post uerba psalmi, sacrificium laudis glorificabit me sic ait. Huius sacrificij caro & sanguis ante aduentum Christi, per uictimas similitudinum promittebatur: in paßione Christi per ipsam ueritatem reddebatur: post ascensum Christi per sacramentum memoriæ celebratur.

Aug. epist. 28.

Aug. psal. 49.

Hæc sunt munimina quibus se fulciunt phanatici ex scriptis Augustini, qui nihil minus sensit, quàm quòd iactantur de eo. Nam si diligentius, id quod disputat, contra Adimantum conspexissent, ab eo certè loco abstinuissent: quem putant Achilem suæ disputationis. Nempè, si conspiciamus quid cum Adimanto agat Augustinus argumentum, quod contra nos esse putant, contra eos resoluitur. Putabant Manichei animam esse sanguinem, propter id quod scriptum erat in deuteronomio non esse manducandum sanguinem, quia sanguis, anima carnis est. Sic enim legi puto in uersione septuaginta quos imitatur Augustinus nos legimus sic, sanguis enim eorum pro anima est.

solutio.

deu.c. 12.

Quapropter, si sic, sanguis est anima, sicut species panis est corpus Christi, quia scilicet, sanguis est signum animæ: & panis seu species panis est signum corporis Christi: cõstat certè ita sanguinem esse signum animæ, ut & ipsa anima præsens sit. Nisi enim præsens esset, non esset sanguis signũ eius. Ita ergo nos quoq;, iuxta similitudinem Augustini dicimus, panem seu speciem panis, signa esse corporis Christi: sed præsentis, non absentis. Atq; pariter cum Augustino tenemus, sacramenta uocari iisdem nominibus quorum sunt sacramenta. Neq; tamen semper rem absentem significant, sed præsentem quoq; sicuti, credimus de sacramento eucharistiæ.

Aug. de con dist. 2. c. utrũ Et hanc esse mentem Augustini liquet ex textu quem citat Gratianus. capitulo utrum de consecratione distinctione secunda ubi ait. Vtrum sub figura, an sub ueritate. Hoc mysticum calicis sacramentum fiat. Veritas ait. Caro mea uerè est cibus, & sanguis meus uerè est potus. Alioquin quomodo magnum erit, panis quem ego dabo: caro mea est pro mũdi uita nisi uera sit caro? Sed quia Christum phas uorari dentibus non est, uoluit dominus hunc panem & uinum in mysterio, uere carnem suam & sanguinem suum (consecratione spiritus sancti) potentialiter creari: & quotidie pro mundi uita mysticè immolari. Vt sicut de uirgine per spiritum sanctum, uera caro sine coitu creatur, ita per eundem, ex substantia panis & uini, mysticè idem corpus Christi consecretur. Corpus Christi, & ueritas & figura est.

ueritas, dum corpus Christi & sanguis uirtute spiritus sancti, in uirtute ipsius, ex panis & uini substantia efficitur, figura uerò est id quod exterius sentitur, sic ille. Porrò si sic dicamus, uidemur omnino tropum admittere in uerbis Christi, quod toties negauimus: & symbolistæ id uolũt maximè. Quid enim magis optant, quàm quòd (est) pro significat accipiatur in uerbis Christi. Hoc est corpus meum, idest significat, & hoc nos uidemur admittere, si patrum sententias integras seruare cupimus, præsertim quas diximus Augustini. Propterea tamen, neq; (si sic loquimur) ullo modo fauemus aduersarijs, neq; periclitabitur causa nostra. Tametsi enim, aliquando admittimus esse tropicam locutionem, in uerbis Christi (cùm uisibile denotant sacramentum) propriam tamen, & identicam non negamus: pro qua uindicanda pugnamus. Symbolistæ sic tropicam asserunt: ut propriam nullo modo permittant. Quare ex ijs que diximus, commodè, citra iacturam fidei, concedi potest uerum esse (solis monstratis accidentibus & signis externis.) Hoc est corpus meum. Neq; obest quòd communi doctorum sententia neq; species (quæ sunt accidentia) neq; panis, neq; uinum, (quæ postea transmutari dicimus) specifice demonstrentur, neq; ipsum etiã corpus Christi, (ut quibusdam, uidetur) sed in genere confuso contenta substantia demonstratur: cùm enim sic dicunt uiri docti, rectam & germanam naturã uerbi substantiui exprimunt, quæ tunc seruanda est, cùm id

quod continetur attendimus. Sed si sola accidentia demonstrentur (quod fit aliquando) tunc est pro signi= ficat, accipi potest, sicut ex sentētijs Tertuliani supra, & nunc ex Augustino fieri posse monstrauimus.

Minus uerò pugnat contra nos, quod ipse etiā scribit Augustinus contra faustum, quinimo nostrā magis confirmat sententiam. Quoniam dicit carnem & sanguinem nostri sacrificij, ante aduentum per uictimas, promitti, in paßione per ueritatem exhiberi, & nunc post ascensum Christi per sacramentum memoriæ celebrari. Profecto qui sic loquitur, carnem & sanguinem in mysterio sacro confitetur, quod etiam uocat sacrificiū, neq; de beluina carne aut sanguine intelligi, ullo modo potest, quod eo tempore antiquata essent pecorum sacrificia. Nulla ergo alia caro, quàm Christi caro putanda est: de qua loquitur Augustinus. Nec obstat, quod dicit, in ueritate, paßionis tempore redditam, quæ ante aduentū per uictimas erat promissa, quasi nunc in sacrificio nostro (quod post ascensionē Christi est) non sit uera caro, sed Augustinus sacrificium cruentū, ab incruento distinguit, & illud dicit esse uerum quod paßionis tempore in hierusalem peractū est, hoc dicit memoratiuum, quod in uniuerso orbe ab ecclesia celebratur. Quāuis in utroq; uera sit caro, sicut ex uerbis Augustini liquet, manifeste, qui nostram defendit catholicam sententiam.

Producunt symbolistæ quasdam aliorum patrum scripturas mutilatas præcisas, & quandoque per uim

exceptas sicut in collectaneis Hermanni Bodij (quas unionem uocant) apparet. Qui huic hæresi fauere nimium uisus est, adeò ut uiolentam suspicionem omnino uitare non possit. Potuisset nimirum, tantorum patrum aduocare testimonia, qui catholico nostro dogmati fideliter adhærent, ijs uerò prætermissis, maliciose perperamq;. Et per calumniam, eorum dicta duntaxat in sua unione describit, qui uidentur alicubi fanaticorum blasphemijs consentire. Quãquàm nihil adducit nostro catholico dogmati contrarium, quod facile per ea quæ diximus elui dissoluique non possit.

Quod impij symbolistæ multa absurda opponant oportere concedi, quæ tamen non sequuntur ex nostro dogmate. Cap. 37.

Deniq; aduersarij tot catholicorũ patrũ oraculis, deuicti in cõscientijs eorũ, tamẽ obstinato furore nõdum cessant nostræ fidei simplicitatem sannijs: scommatibus: & Cachinnijs irridere, atque multa absurda & ridicula improperant oportere concedi, quæ Christianam rempublicam opprobrosam reddunt & infamant. Quòd scilicet cogamur asserere, non unum, sed plures esse Christos, quorum unus in cœlis sit, sedens ad dexteram patris, in terris uerò plures in tot hostijs quot sacratæ sunt, & in tot distinctis aris & locis, & (quod supplicio dignum putant) nobis instrũ

calumniam, quod alium Christum in ergastulis clausum tenemus, & incarceribus astrictũ reclu lamus, alium uo ramus, alium circunferimus: eum autem quem clausum tenemus, dicunt nos permittere aliquan lo, ut à tineis corrodatur, uel comedatur à muribus. Multa ijs similia & indigniora magis de nobis passim iactant in sacrosancti mysterij contumeliam. Nos penè ad hæc maledicta respondere erubescimus. Sed sicut pius ezechias im-
4.reg pias & horrendas blasphemias Sennacherib expandit
19. coram domino, ita nos quoq; preces uostras effudimus
esa.17 in conspectu dei, ut iudicet causam suam, & ecclesiam sponsam suam, (quam preciosissimo suo sanguine lauit à tantis hæreticorum maledictionibus & impietatibus protegat.

Veruntamen ne sibi sapientes isti uideantur aut alioqùi imperitam plebem decipiant, blasphemis obiectioni-
rñsio. bus respondebimus. Nos scilicet fateri unum solum esse Iesum Christum dominum nostrum, qui sedet in cœlis æqualis patri, & in terris adest & regnat ubicunqué eius peraguntur mysteria. Neq; Christum eo modo includimus in pane ut nõ sit alibi ubi esse uult. Quia ipse pugillo continet uniuersa. Sacrum quoqué mysterium eucharistiæ debito honore seruamus in decenti loco & uasis sacris atq; eius corpori unito deitati latrium exhibemus honorem quia deus est, nequé eum uoramus ut esse desinat (sicut perfidi calumniantur maliciose) sed ut nos sibi efficaciter unitos, perpetuo seruet. Quia no-

biscũ est non solũ per fidẽ & dilectionem sed admirãdo modo & per sacramentũ. Neq; *etiã dubitamus Christum in pluribus locis esse, qui credimus deum ubiquẽ esse, & quomodo in pluribus locis esse non poterit, qui facit ut anima una in uno corpore sit tota & in qualibet eius parte tota?* Non *sic tamen anima cuilibet parti corporis est coniuncta, sicut* Christus *suo mysterio, qui totus est in toto: & totus in partibus, etiam inuicem separatis, post sacra uerba, quod animæ nostræ nõ conuenit: ut separatas à reliquo corpore partes informet.* Et *hac quidem in parte magis, conuenit eucharistia cũ speculo in partes diuiso: quarum quelibet totam representat imaginẽ: quæ unica uidebatur in toto.* Nec *sic tamen ijs similitudinibus fidimus, ut minus credamus uerbis* Christi, *quamuis simile nullum in creaturis reperiatur,* Quandoquidem, *nulla potest tanta similitudo inueniri, ut maior dißimilitudo inter hæc inueniri non poßit.* Quibus *enim cõparari possunt diuina?* Et *quem facere possumus similem deo?* Taceat *igitur humana præsumptio: & ea fieri posse non dubitet quæ deus fieri uoluit.* Esa. 40.

Sed *dicent: fieri quidem posse, ut non modo* Christi *corpus, sed & aliorum quoq; corpora, (diuina omnipotentia) in pluribus locis sint: hoc uerò nunquàm factum legimus.* Non *enim idem penitus est, fieri posse, & esse factum.* Quis *nesciat deum plura posse, quàm faciat?* Inanis *itaquẽ illa ratio est, quæ à posse, ad esse* obiect.

progreditur. Hoc unum nos agimus, ut probetur esse factum, quod de uestro Chrysti mysterio prædicatis. Nec etiã quascunq; rationes admittimus, uel scripturas, solis eis scripturis credimus: quæ sanctæ sunt, reliquas omnes
vñslc. reijcimus. Adeste ergo uiri illusores: quid si dei uerbis sacris uobiscum agimus, & uos surdi estis, & nõ creditis? Quid si lucem ueritatis ostendimus, & oculos clauditis? Quis eum potest in uiam rectã, ducere qui obstinatè ex aduerso graditur? Nos simplicibus Christi uerbis credimus: qui ait Hoc est corpus meum. Hæc non sunt hominum uerba sed Christi. Vos dicitis: hoc, idest hic panis significat corpus Christi. Hæc sunt uerba uestra: non sunt Christi & in scripturis sacris non inueniuntur. Vos homines estis, quinimo monstra: uerba igitur uestra monstra sunt. Dicitis Christi uerba nõ possunt simpliciter intelligi: sed sunt interpretanda. Et hæc similiter uerba uestra sunt, nusquam in scripturis prodita. Cur non aduocatis scripturas sacras, qui eis solis creditis? An uultis uobis licere, quod cæteris nõ ad-
obiect. mititis? Qui nam estis uos, & quod genus uestrũ? Instãtius cogitis & dicitis, timemus si eucharistia sit corpus Christi, ne à muribus & soricibus comedatur: & in corũ uentrem traijciatur: uel ne in Cloacam etiam mitti
rñslo. poßit. Nos horum timemus nihil, intrepidè eius uerbis adhæremus. Quomodo illa fiant diuinæ dispositioni relinquimus, neq; cruciamur ijs angustijs. Attamen solicitè cauemus, ne mus uel aliud animal, Christi attingat.

sacramenta. Neq; rursus angimur, an sit uel esse desinat sacramentum, si ab illis brutis animantibus glutiatur. Quanquàm si ab impurißimis peccatoribus (quorum pectora sordidiora sunt) manducatur, sacramentum esse non desinat. Vos has scrupulosas tricas tenditis pedibus insipientium, & indoctè plebis: quæ cum hos nodos soluere nequeat (Dauus enim est non œdipus) capitur, & ab Apostolica & orthodoxa ueritate, uestris præstigiosis deliramentis, auertitur.

Sed tēpus est ut huius nostræ primæ disputationis uela colligamus. Dicite uiri infœlices, qua pœna? quibus supplici? Deniq; qua morte? digni estis, uos uniuersæ Christianæ reipublicæ prophanatores; qui miserandas tragedias, nouis uestris paradoxis, in ecclesia suscitastis? Qui populorū seditiones cōmouistis aduersus principes; qui sectantes libertatem carnis, defectiones ab ecclesia semper molimini? Insuper nec id sufficit, quod bellū moueritis in ordinem ecclesiasticum, & omnem terrestrē turbastis Hierarchiam, nisi in cœlum quoquè aduersus Christum essetis blasphemi: cuius sacratißimum mysterium abominabile fecistis in terris. Qui illotis pedibus, manibus, corpore, corde, & anima Christo cōmunicare in eucharistia suadetis, & sanguinē noui & aeterni testamenti polluitis, & spiritui gratiæ contumeliam facitis. Heu infœlices uos & miseri, conspicite tandem in quantos errores incidistis, & quantam ad scelera & carnis uoluptates, fenestram aperuistis: ijs, qui hos Heb. 10.

seculum diligunt, & æternas in Christo delicias sperant. Haud leuè est hoc uestrum peccatum, quod ex malitia magis, quàm ex ignorantia trahit originẽ. Quando quidem tam uilem de uobis æstimationem habere non possum (de præcipuis qui in uobis sunt loquor) qui putem uos adeò crassos & bardos esse, qui perlectis omnium antiquorum patrum scriptis, admirabili consensu firmatis, nesciatis hanc esse ueram doctrinã, quam in ecclesia prædicamus de sacro mysterio. Sathan posuit in uobis spiritum erroris & uertiginis. Sed reclamantem tamen in uobisipsis conscientiam sentitis; & pudet uos uestri schismatis, quod ab re fecistis. Vnum opinor quod uobis remorã faciat in uestra hæresi: illud est turba discipulorum quos in errore decepistis. Multitudo quoq; perfugarum ex uicinis longinquisuè nationibus, ad uos (ueluti ad tutißimum asylum) confluentium, non modicum præstat impedimentum. Timetis enim, ne si apertè palinodiam canitis, horum omnium perdatis gratiã: & mortis pericula incidatis. Quoniam, propter uestra inconsulta dogmata (odia principum fugiẽtes,) præscriptionem bonorum suorũ paßi sunt: & peregrè uiuunt in miserijs apud uos. Proindè timetis ne irruant in uos, si (ab eo quod docuistis) deficiatis. Propterea uos in ijs angustijs, timetis referre pedem: sensim tamen resilire uidemini ab eo, quod in initio schismatis profitebamini: sicut scripta uestra testantur: in quibus suscitata inter uos dißidia de eucharistia execramini, &

maledi-

maledicitis, optantes illa nunquàm fuisse. Quæ certè, manifesta sunt inditia uestri dogmatis incerti. Agite tandem & erubescite super uijs uestris peßimis. Ergo ne timetis homines, qui deum non timuistis? Temporalem formiditatis pœnam, qui complures æternæ mortis damnationi, addixistis? Horrendum certè, horrendum incidere in manus dei uiuentis. Horrendum unicuiq; de proprijs, que commisit delictis, deo rationem reddere: sed illud magis, quod per scandalum doctrinæ, plures periclitantur ad ruinam, pro quibus estis reddituri rationem. Igitur resipiscite, & sacrilegum errorem corrigitè, atquè ad uos, & ad eam (quam reliquistis Christi ecclesiam) humiliter redite. Ipsa summi regis Christi sponsa est, & quicquid in nomine eius petierit, obtinebit, ipsa orabit pro nobis & offeret sacrificium mundum & uos mundabimini ab uniuersis erroribus uestris. Quos uerò uenenato furore peremistis, qui aduc in carne sunt, & reduci possunt, satagite ut & ipsi quoquè redeant ad uiam rectam: ne & ipsi pereant cum ijs qui perierunt. Reliquos ne timueritis, dominus ipse liberabit uos & ubi abundauit delictum, superabundabit & gratia, per dominum nostrum Iesum Christum, cui est honor & regnũ in omne æuum.

Heb. 10.

FINIS.

HIERONIMI NIGRI FOSSANENSIS, DE ADmirando mysterio: liber secundus, qui de Transubstantiatione dicitur.

Quod scriptura sacra interpretanda est, iuxta regulas fidei. Cap. 1.

NVllam admittit doctrinam ecclesia Christi, quæ non ad communem fidei regulam reducatur. Vt uidelicet primum, nihil habeat scripturæ sacræ aduersum, deinde ad dei gloriam (quæ semper obseruanda est) & ecclesiæ ædificationem conferat. Neq; tamen ferendum est, ut quilibet pro suæ uoluntatis arbitrio, repugnantes ad se trahat scripturas: & ex quolibet fieri quodlibet opinetur: uelut Anaxagoras, qui principia rerum naturalium destruebat. Ita ij Christianæ doctrinæ rudimenta obruerent. Ideo prudenter agendum est, ne in re manifesta delirãtes, ac toto cœlo (quod dici solet) aberrantes, aduersarijs risum moueant. Cum quod ipsi suam produnt ignorantiam, tum quod ecclesiæ dogmatibus noceant. Vt putari omnino poßit, ubiq; & in omnibus fieri, quod quandoq; ab imprudentibus

factum sit. Docet etiam Augustinus, libro secundo de Aug.
doctrina Christiana, sophisticas quasque rationes, seu c. 31.
sententiarum, seu conexionum, in sacris litteris esse ui=
tandas, & quantum fieri potest, proprietas sermonis
seruanda est, & ad regulam fidei catholicæ dirrigen=
da. Neque enim aliunde hæreses natæ sunt, nisi dum ab
improbis temere nimium, & audacter, præter regulas
fidei catholicæ, scripturæ sacræ exponũtur. Eã aũt uo=
co fidei regulã: quæ totius ecclesiæ consensu, & plenio=
rũ cõciliorũ authoritate, instituta est. A qua si defeceri=
mus, nihil certum in ecclesia remanebit, sed omnes om=
nium hæreses quæ hactenus fuerunt, repullulabũt, qui=
bus omnino resistere non poterunt. Adeò confusa omnia
erunt, & incerta, ut magis certi esse poßint sue impiæ
religionis, qui sub legibus maumeth uiuunt, quàm qui
sub Christo deo & homine consecrantur. Hinc Turçe,
iudei, quoq;, & idololatriæ (si qui aduc in mundo sunt)
aduersum nos gloriabuntur, in Christi euangelij contu=
meliam. Cauendum est igitur, ne nouis ac peregrinis do heb. 13
ctrinis, abducamur a uia recta: & animas nostras illa=
queamus, precipitemusq;. Propterea fidei regulas, ad
quas imbuti sumus, non deseramus. Viam regiam ambu
lemus, si uolumus secure in domo dei conuersari: quæ est 1. thi. 3
ecclesia dei uiui. Columna & firmamentum ueritatis eph. 4
(ut inquit Apostolus) & ne simus paruuli fluctuan=
tes, & circunferamur omni uento doctrinæ, in nequitia
hominum, ad circunuentionem erroris.

Haec idcirco libuit praefari, quòd haeretici maximè cogant, suis strophis & imposturis, fideles auertere à recta scripturarum intelligentia, extra regulas catholicae disciplinae. Tanto enim odio feruntur in ecclesiam Christi, ut nihil uelint, quod ab ea sit institutum. Sed nouis inuentionibus delectantur, ad molestandum electos. Quòd si apertis scripturarum rationibus, in suo mendacio deprehendantur, non erubescunt: sed maiori impetu, (sicut aequus in praelium) sine iudicio feruntur. Veluti in mysterio eucharistiae nimis improbe faciunt, in quo certamine, perspicuis scripturarū locis deuicti, & totius orbis consensu astricti, aliquando uerā Christi corporis praesentiam confitentur. Et ipsorum quidā publicis scriptis palinodiam cecinerunt, ueniā ob praestitum scandalum, postulantes à fratribus. Isti tamen, atque illi, licet sui erroris penitere uideantur, in alium tamen, non minus perniciosum decidunt, ut ex postliminio in pristinam (quam damnasse uisi sunt) proculdubio redeant sententiam. Quanquàm enim, corporis & sanguinis Christi praesentiam non abnegent: panis tamen & uini substantiam, post mysteriorum consecrationem remanere contendunt. Quod si conceditur, consequens quoque est, uerba Christi non nisi figuratè & tropicè intelligi posse. Nam si panis in eucharistia reliquus est, non uideo, quomodo haec uerba, Hoc est corpus meum, proprie accipi ualeant. Nam pronomen, hoc, singulare est, & rem unam

tantum demonstrat. Si igitur panem ostendas qui remaneat, hic sensus erit. Hoc, idest hic panis, est corpus Christi, panis ergo est corpus Christi, quòd certè nullo modo admittendum est, & communis sensus abhorret.

Quòd asserentes panis substantiam remanere, unionem quandam fingunt absurdam. Cap. 2.

HAnc uerborum Christi intelligentiam, aduersarij ueram esse concedunt, atque unionem quandam sacramentalem, ex officina sui dogmatis fingunt: qua pronomen, hoc, duo poßit congruè demonstrare. Sensibus quidem & rationi, panem frumenteum ostendit, fidei uerò & spiritui interno, corpus dominicum. Eadem quoque opera, in sacramento baptismi admittunt: hæc aqua est spiritus sanctus: & hoc (aqua demonstrata) est ablutio peccatorum. Nam ibi quoque (ut in sacramentis, seruetur æqualitas inquiunt) est sacramentalis unio: & simul cum aqua, datur spiritus sanctus. Hæretici.

Hæc uerò, quàm temere & impiè doceant, nemo non intelligit: qui eorum malitiam aduertat. Quinimo ex hijs quæ dicunt, adparet non ueram (quam fecerunt) recantationem esse: sed fictam. Nempè cum dicant aquã abluere peccata: & panẽ esse corpus Christi, eandem penitus recipere interpretationẽ, propter eandem Catholici.

sacramentalem unionem; proculdubio in eum reinciduñt, quem abiurauerant. Berrengarij errorem, ut, est, pro significat in uerbis Christi accipiatur. Neq; enim aliter, intelligi potest, aquam abluere peccata, quàm ut aqua significet ablutionem peccatorum: ut per similitudinem habeatur: quòd per lotionem aquæ, mundatio à peccatis designetur, hoc est, lotio exterior, quæ per aquam fit; interiorem purgationem, quæ fit per spiritũ

Aug. repræsentat, sicut hoc modo loquitur Augustinus, cum dicit: quæ nam est uirtus aquæ, ut corpus tangat: & cor abluat? Tangit quidem corpus aqua re ipsa: cor uerò non tangit, nec realiter abluit: sed significat cordis ablutionem. Proindè, si eandem recipit interpretationem, aquam abluere peccata, & panẽ esse corpus Christi: nullo uel fucato colore, possumus effugere, quin in uerbis domini, est pro significat debeat interpretari: quod toties fieri negauimus, ad sensum quem intendunt hæretici.

Deindè, si pergant illam suam sacramentalem unionem defendere, quam etiam idiomatum communicationem appellant: uide quanta rerum sequatur absurditas. Quemadmodũ enim, admittunt panem esse corpus Christi; & uinum esse sanguinem: ita pariter oportet concedere, panem frumenteum, esse conceptum de spiritu sancto; factum & natum ex uirgine: ieiunasse quadraginta dies in deserto; in Ierusalem prædicasse: & fecisse miracula: affixum cruci, mortuum, sepultum, resurre-

xisse, ascendisse in cœlum, sedere ad dexteram patris. Vinum quoq; nos lauisse à peccatis, fusum pro nobis in circuncisione in orto: in flagellis: in cruce: & exisse de latere Christi. Præter hæc etiam quæ pani materiali, & uino conueniunt: de corpore & sanguine Christi apte dici poterunt. Veluti quod corpus Christi, est furfureum: impactum: coctum in furno e granis confectum. Et de sanguine Christi, admittent quoq;, esse ex racemis: uuis: & botris: sub torqulari expressum, atque in uasis repositum. Hæc omnia absurda admisuri sunt qui nouam sacramentorum unionem prædicant, propter aleosim, quam communicationem yidiomatum uocamus. Sicut diuinitatis & humanitatis nomina in Christo communicantur in concreto propter Ypostaticam unionem duarum naturarum.

Quod in eucharistia non manet substantia panis & uini & quare. Cap. 3.

SEd has rerum nouitates, diuina scriptura non agnoscit: in sacro mysterio ecclesia quoq; catholica non admittit. Propterea quod in ijs uerbis: Hoc est corpus meum, neq; patitur uerbum, est, pro significat accipi, neq; admittit pronomen, hoc, specifice, & in distincte, demonstrare panem. Minusque concedit in uerbo, est, fictitiam illam sacramentalem unionem. Quinimo, uerã, propriam, & identicam, uel (ut sic dixerim) prædicati

cũ subiecto identitatem, cõfitetur, & prædicat. Quandoquidem illud scire necesse est: Christũ in cœna primò panem frumenteum accepisse, postea uerò corpus suum manducandum tradidisse. Quo fit, ut aliud fuerit, quod accepit: aliud quod dedit. Nam si penitus id quod accepit, idem esset, & quod dedit: nihil nisi panem dedisset, cùm nihil nisi panem acceperit. Ideoq; non suum corpus tradisset. Quomodo igitur uerum erit quod dixit, accipite & manducate: Hoc est corpus meum? Idest hoc quod uobis offero manducandum est corpus meũ. Quòd si corpus suum tradidit manducandum, consequens est, non fuisse panem triticeum, nequè hunc tunc obtulisse manducandum. Ait enim: Hoc est corpus meum, quod pro uobis tradetur. Constat autem, quòd panis furfureus non est traditus pro nobis, non est ergo oblatus ad manducandum. Et (ut supra quoquè dictum est) illud tantum oblatum est manducandum, quod pro nobis traditum est, & cruci affixum. Solum Christi corpus pro nobis traditum est & crucifixum, illud ergo solum oblatum est manducandum.

Non est in re tam perspicua diutius immorandum: quando euidenti, & necessaria illatione decisum est: & omnium patrum consensu ab ecclesia decretum: panis scilicet substantiam nullam esse: post sacro sancti mysterij uerba; quæ per sacerdotem (Christi institutione) proferuntur. Non enim nisi rem unam, demonstrare potest pronomen, hoc, quod est singulare.

Quare duas omnino diuersas substantias, panem & corpus Christi: creatorem & creaturam, ex quibus unum non fit: unicè & singulariter non poterit demonstrare. Quod si ex duabus illis substantijs (pane, & Christi corpore) unum fieret singulare: posset utiquè illud sic ex illis conflatum: unicè & singulariter ostendi: ueluti de duabus naturis in Christo in unitate suppositi ueraciter dicimus. Hic est, Christus: hic est deus, hic est homo. Non enim puto usquè adeò ineptire hos hæreticos, ut asserant, ex pane & Christi corpore effici Ypostasim unam, quanquàm tamen ex communione Ydiomatum, illa admittant quæ supra diximus: ut uideantur non multum ab hoc discentire. Quòd uelint sacramentalem illam unionem (quam fingunt fieri, nõ minus Ypostaticam esse, quam diuini uerbi cum carne. Hæc uerò omnia, sunt deliramenta stolida, frigida, insipientiæqué omnis plena: quæ etiam sensus communis abhorret. A quibus fugiendum; & abstinendum docet Apostolus, præcipiens deuitandas prophanas uocum nouitates falsi nominis scientiæ, quam isti promittentes à fide exciderunt. An non hæc est, nuper inuenta doctrina, de unione sacramentali signi & rei signatæ, quæ suas habeat aleoses, idest uocum communicationes? Cùm autem uelint sacramentalem panis & corporis Christi unionem esse, negant tamen esse identicam prædicationem, ut quod significatur per subiectum, idipsum sit quod denotat

1. thi. 6.

prædicatum, & insuper asserunt, hoc dictum esse uerũ. Panis est corpus Christi. Cuius dicti si rationem inquiras, nouas quasdam instructiones ab eis audies, nusquam in priscis grammaticis, uel philosophis, aut theologis, cõpertas. Quis enim unquàm putauit, aut docuit, propositionem ex rectis affirmatiuam, cum uerbo simplici substantiuo, (de re quæ est) esse uerã, & non esse idẽticam, cuius subiectũ & prædicatum, non supponunt pro eodem? Quare qui hec docent, ab omni recto iudicio aliena: confuse: inconsiderate, & pueriliter, insaniunt.

Ideò (inquiunt (uera est hec locutio, hoc (demonstrato pane eucharistiæ) est corpus Christi: quia cum hoc pane, est corpus Christi: & cum hoc pane nobis exhibetur. Bona uerba: in quãtas miseri, se ingerunt rerum angustias, quum semel susceptum errorem pertinaciter deffendunt? Vide obsecro, quot fœda, & ridicula, ex hoc errore sequantur. Nam si ideò uerum est, panis est corpus Christi: quia cum pane corpus Christi est, & cum pane datur: pari ratione, uerum quoque erit dicere: aqua est uinum, uel uinum est aqua: si cum uino aqua sit, & cum uino exhibeatur. Item uerũ erit, neruius est medulla, uel medulla est os, aut os est caro, uel etiam caro est lana, aut ignis est lignum, uel lapis est aurum, aut aurum est ferrum. Hæc omnia, & ijs similia infinita, uera erunt. Si has uestras dicendi artes & instructiones, & inuentum nouum loquendi modũ obseruauerimus: & tandem quodlibet erit quodlibet.

Quapropter, constat uos fœdißimè lapsos esse, & reliquos ineptè in errorē mittere: postea quàm uestræ insipientiæ nimium inhærentes à recto catholicorū cœtu defecistis. Nihil enim æquè obscurat intellectū & mentem, quàm elatio animi & sui confidentia: cū sibi quisquè plus credit, quàm cæteris prudētioribus, præcipuè plusquàm ecclesiæ: quæ in sinu sponsi Christi recombit & cœlestem haurit sapientiam: & quam Rex introduxit in cellaria sua. Sed quid? Ingenium hominis ferox cañ.1. est sibi derelictum, semper fastidit uetera, noua etiam plena erroris placent: & semper nouandis inuigilat. Hoc studium utcunq; in doctrinis hominum, & philosophorum placitis, tollerari potest, ubi nullum subest salutis animæ periculum. In ijs (inquàm) unusquisquè in sensu suo abundet. At in diuino & sacro dogmate ad salutem necessario, non est hoc more ludendum, sed in percepta doctrina, tot seculis firmata, humiliter persistendum est. Nos igitur uestras prophanas uocum nouitates fugimus, & cum patribus catholicis, ac omni ecclesia, in uerbis Christi, aliud nihil intelligimus, quàm realem & uerā corporis Christi identitatem: quæ pronomine demonstratiuo demonstratur. Hæc est simplex, integra & germana interpretatio: non fucata, nō figurata: uel alioqui tenebris obscuris inuoluta. Hic sensus statim prolatis uerbis accipitur: & ab hoc cōmuni sensu, sine periculo non digredimur. Hæc est Christi institutio: hoc est eius testamentum: hæc est eius hæreditas:

Quare oportuit esse uerba clarissima, illud ergo est corpus Christi, non panis, quod utrunq; esse non conuenit, quod ergo panis erat: cessit Christi corpori, ut tenebræ luci: uel in Christi corpus est commutatum.

Quòd hæc commutatio transubstantiatio dicitur à catholicis, & quomodo hæreticis displicet. Cap. 4.

HAnc cessionem, seu substantiæ mutationem, uocant catholici transubstantiationem. Quod nomen etsi nuper inuentum uidetur, re tamen ipsa, & necessaria illatione, demonstratur, ex uerbis Christi (ut dictum est) & cùm rem ipsam tenemus, frustra de nomine controuertitur. Arriani, nomen homousion recipere nolebant, (sicut nec noui hæretici, nomen transubstantiationis) quod in sacris scripturis non haberetur, ut legimus in historia tripartita, libro quinto. Quibus respondet Ambrosius, libro de fide contra Arrianos tertio. Nam quid est aliud (inquit) cur homousion patri, nolint filium dici, nisi quia nolunt uerũ dei filium confiteri: & paulo post, hoc uerbum (inquit) in tractatu fidei posuerunt patres, quòd uiderent aduersarijs esse formidini, sic Ambrosius. Vbi ergo uerum aliquid dicitur, de nomine non debet esse contentio.

Hist. trip. c. 42. Amb. c. 70.

Atha. Hinc dicit Athanasius, disputatione prima contra Arrium, ecclesiasticæ semper moris est disciplinæ,

si quando hæreticorum noua doctrina, exurgit, contra insidentes quæstionum nouitates, rebus immutabiliter permanentibus, nominum uocabula immutare, & signi ficantius rerum naturas exprimere: quæ tamen existen tium causarum uirtutibus cõgruant. Et plura post hæc deducit exempla. Vt quod nos Christiani dicamur: quod innascibilitas, & impassibilitas, de patre dicãtur: quæ nomina uix in scripturis comperiuntur, & tamen à patribus sunt instituta.

At dicunt isti, nomina quidem illa, uel saltem la= tina sunt, aut ex latinis facile deduci possunt & in autenticis scriptoribus comperiuntur. At hoc nomen, quod uos dicitis transubstantiatio, uix exprimi potest, & penitus barbarum est, & scolasticum, orationis or= natum degenerans & fœdans. oppo.

Demiror uestrarum aurium teneritudinem, qui horrescitis ad tinnitum nominis: quasi plura græca ma= gis non sint pleripodia & magis horrisona. Nomina ad placitũ instituta sunt, & quædam antiquantur, quæ in apuleo & plauto leguntur, rursus quædã innouan= tur. Vos id agitis quod Cresconius donatista; qui repre hẽdit Augustinum, qui dicere debuerit, à donato, dona= tianos, non donatistas. Cui respondet libro secundo con= tra eundem: inter reliqua sic dicens. Si enim deme= stenes clarißimus oratorum, cui uerborum tanta fuit cura, quanta rerum autoribus nostris: cum tamen ei nonnullam locutionis insolentiam, obiecisset Es[illegible] rñsio. Aug. c.1.

negauit ille in eo positas fortunas græcis, illo, ne, an illo uerbo usus fuerit, & an huc an illuc manum porrexerit. Quanto minus nos laborare debemus, de regulis deriuandorum nominum, quando siue illud dicamus, intelligitur sine ambiguitate quod dicimus, quorum non in expolitione sermonis: sed in demonstratione ueritatis, est maior intentio. Et capite sequenti, ostendit non esse de nomine certandum, cum de re constat.

Ideo cùm ex scriptura sacra, liquido concludatur, panis substantiam post sacra uerba minime adesse: sed uel totam corrumpi, aut in Christi corpus, (quod est substantia (transmutari: nihil prohibet quin hæc diuina mutatio, transubstantiatio rectè meritoqué dicatur.

Panarij. Quod si ab hoc nomine abhorrent Panarij (sic enim uocari possunt, qui panis substantiam in sacro mysterio remanere contendunt) rem teneant, & in re nobiscum sentiant. Nec ob hoc nomen damnent catholicos, quibus sic uisum est, ueraciter loqui: tum ad instructionem fidelium: cum quòd uideant hoc nomen hæreticis displicere, non secus atq; Arrianis nomen homousion odiosum erat. Cùm enim lecta esset epistola eusebij Nicomediensis, Arriani, (sicut refert Ambrosius) in concilio Niceno, in qua ipse Eusebius nolebat confiteri homousion: hoc uerbum in tractatu fidei posuerūt patres, quod uiderent aduersarijs esse formidini. Vt tanquàm euaginato ab ipsis gladio, ipsorum nephandæ caput hæresis, amputarent, sic Ambrosius. Igitur cum Christus dicat,

Amb.

illud esse suum corpus, iam non erit panis, qui esse desijt. Quomodo uerò id fiat, non est temere inquirendum, sed eius dispositioni remittendum est, quia est omnipotens, neq; mirandum est, posse transmutare substantiam, qui solo uerbo cum non esset in esse produxit. Hæc uerò mutatio substantiæ in sacro mysterio, non est nuper inuentum ab annis tercentum, sicut nugantur hæretici, qui absqué fronte catholicos calumniantur, sed ante mille annos de ea locuti sunt patres, ex quo istorum apparet, uel nequitia, uel imperitia.

Transubstantiatio, probatur ex Cypriano: Chrysostomo: Theophilacto: Damasceno: Augustino: Ambrosio: Eusebio: & prospero ex sententijs Augustini. Cap. 5.

NOn minima est consolatio fidelium, quādo ea quæ credunt: intelligunt tanto priscorum patrum consensu esse celebrata: ut euidentißimum signum sit, non fuisse hominum somnia: sed dei sacramenta. Non habent hæretici quibus innitantur fundamentis, nec possunt de scripturis sacris gloriari, qui ueridicos scripturæ testes non admittunt. Sed uideamus quid de mutatione substantiæ patres in fulcimentum nostri dogmatis dicant.

Cyprianus episcopus & martyr qui floruit anno salutis ducenteßimo sexageßimo in sermone de cœna domini sic ait panis iste quē dominus discipulis porrige-

bat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia uerbi factus est caro. Sic Cyprianus, breui quidem sententia sed plena.

Chrys. to. 6. Chrysostomus, in sermone de eucharistia, in encœnijs suo more, quia os aureum est, omnes soluit nodos, & hæreticorum ora fœtida obstruit. Sic enim scribit. Grauia nobis accidunt, quia in diuinis conuentibus frequentes non sumus. An non uidetis uolẽtes dignitatem à terreno rege accipere, quomodo aßideant, quomodo alios ad patrocinandum incitant, ut potiantur, eo quod quærũt? Hæc ego dixerim ad eos, qui sanctorum communionẽ, & congregationem relinquunt, & sub horam terribilis mysticæ mensæ, in uaniloquentiæ conuenticulis occupati sunt. Quid facis homo? Non promisisti sacerdoti, qui dixit sursum mentem & corda, & dixisti, habemus ad dominum? Non revereris, & erubescis? Et illa ipsa hora mendax inueniris. Papæ, mensa mysteris instructa est, & agnus dei pro te immolatur, sacerdos pro te angitur, ignis spiritualis ex sacra mensa refluit, seraphin adstant, sex alis faciem tegentia, omnes incorporæ uirtutes, pro te cum sacerdote intercedunt. Ignis spiritualis è cœlo descendit, sanguis in cratere in tuam purificationem, ex immaculato latere haustus est: & non erubescis, revereris, & confunderis, neq; deum tibi propicium facis? Non conscientia tua iudicat te ô homo? Centum sexaginta octo horas habente hebdomada, unã & solam horam sibijpsi segregauit deus, & hanc in

opera secularia, & in ridicula, & in conuenticula insumis? Cum qua postea fiducia ad mysteria accedes? ô quàm poluta conscientia? Num si stercus manibus haberes, auderes appropriare fimbriæ regis? minime. Num uides panem? Num uinum? Num sicut reliqui cibi in se cessum uadunt? Absit, ne sic cogites. Quemadmodum enim si cœra igni adhibita illi aßimilatur, nihil substantiæ remanet, nihil superfluit, sic & hic puta mysteria consumi corporis substantia. Propter quod & accedentes, ne putetis quòd accipiatis, diuinum corpus ex homine, sed ex ipsis seraphin forcipe ignem (quem scilicet Esaias uidit) uos accipere. Reputate salutarem sanguinem, quasi è, diuino & impolluto latere, effluere, & ita approximantes, labijs puris accipite. Sic Chrysostomus, qui aperte rem nostram ostendit, & ueritatem corporis Christi astruit, & panis cessationem ostendit, & sacrificium esse fatetur.

Theophilactus, Chrysostomo subscribit, qui exponēs illud Iohannis sexto, panis quem ego dabo caro mea est; attende (inquit) quod panis qui à nobis in mysterijs manducatur, non est tantum figura quædam carnis domini, sed ipsa caro domini. Non enim dixit, panis quem ego dabo figura carnis meæ est, sed caro mea est. Transformatur enim archanis uerbis panis ille per mysticam benedictionem. theop.

Damascenus libro quarto orthodoxæ fidei sic infit. corpus secundum ueritatem coniunctum est diuinitati, Dam. c.14.

quod ex sancta uirgine corpus est, non quod ipsum corpus assumptum ex cœlo descenderit. Sed quod ipse panis & uinum, transmutatur in corpus & sanguinem Christi. Si autem modum requiris, quo nam pacto fit, sat tibi audire quoniam per spiritum sanctum.

Aug. Augustinus ijs dictis concordat sermone uigesimo octauo super Lucam, ubi sic ait. Cùm de sacramentis tractarem, dixi uobis, quod ante uerba Christi, quod offertur panis dicitur, ubi Christi uerba deprompta fuerint, iam non panis dicitur, sed corpus appellatur. Hæc Augustinus. Cuius uerba solent torquere aduersarij, dicentes Augustinum non dicere esse uerè corpus, sed appellari. Quibus respõdemus, haud mirum esse, si pertinaciter inhereant suis stolidis opinionibus, quandoquidem adeò inuerecundæ, sensus doctorum peruertunt, eadem quippe ratione dicere possumus, non esse panem, sed dici, etiam ante uerba Christi, quia dicit Augustinus quòd panis dicitur, sed præter dicta est locus alius ex sententijs Augustini collectis per prosperum, ubi sic legitur. Nos autem in specie panis & uini quam uidemus, res inuisibiles idest carnem & sanguinem honoramus, nec similiter comprehendimus, has duas species, quemadmodum ante consecrationem comprehendebamus, cùm fideliter fateamur, ante consecrationem panem esse & uinum quod natura formauit, post consecrationem uerò carnem Christi & sanguinem quod benedictio consecrauit.

Prosp. ex augusti.

De cõ dist. 2. c. cùm nos.

Hæc uerba loculentißima sunt, nec possunt in alium sensum detorqueri, per eos, qui omnia dicta Augustini uiolentant ad persuasionem sui erroris. Nullus enim ex patribus est, cui maiorem uim faciant: opinor, quòd uideant uirum catholicum, esse cunctis in æstimationem. Quare eius prætensa autoritate facilius impostuтas facerent simplicibus.

Ambrosius totus suspectus est hæreticis, & (ut sæpe diximus, uel pondus detrahunt honoris, uel libros præcipuè de sacramentis; in quorum quarto sic scribit. Ergo autor sacramentorum, quis est nisi dominus Iesus? De cœlo ista sacramenta uenerunt. Concilium enim omne de cœlo est. Verè autem magnum est, & diuinum miraculum, quòd populo pluit deus manna de cœlo, & non laborabat populus, & manducabat. Tu fortè dicis, meus panis est usitatus. Sed panis iste panis est ante uerba sacramentorum: ubi accesserit consecratio de pane fit caro Christi. Hoc igitur astruamus. Quomodo potest qui panis est, corpus esse Christi? consecratione. Consecratio igitur, cuius uerbis est, & cuius sermonibus? Domini Iesu. Nam reliqua omnia quæ dicuntur, Laus deo defertur, oratione petitur, pro populo: pro regibus: pro cæteris. Vbi uenitur ut conficiatur uenerabile sacramentum, non suis sermonibus sacerdos, sed utitur sermonibus Christi. Ergo sermo Christi hoc conficit sacramentum. Quis est sermo Christi? Nempe is quo facta sunt omnia. Amb. c.4.

Iussit dominus, & factum est cœlum. Iussit dominus & facta est terra. Iussit dominus & facta sunt Maria. Iussit dominus & omnis creatura generata est. Vides ergo, quàm operatorius sit sermo Christi? Si ergo tanta uis est in sermone domini Iesu, ut inciperent esse, quæ
psal. non erant, quanto magis operatorius est: ut sint quæ
148. erant, & in aliud commutentur? Cœlum non erat, mare non erat, terra non erat, sed audi dicentem, ipse dixit & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt. Ergo tibi ut respondeam. Non erat corpus Christi ante consecrationem: sed post consecrationem, dico tibi, quòd iam corpus est Christi. Ipse dixit, & factum est, ipse mandauit, & creatum est.

Amb. Idem capite sequenti sic ait. Antequàm consecretur
c. 5. panis est, ubi autem uerba Christi accesserint: corpus est Christi. Et ante uerba Christi, calix est uini & aquæ plenus, ubi uerba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur: qui plebem redemit. Ergo uidete, quantis generibus potens est sermo Christi uniuersa conuertere. Sic Ambrosius, qui (si alius unquam) insanias auersariorũ detegit, & conditas insidias apperit eorum, qui dicunt, se nescire, quomodo cõsecrandi modus irrepserit in ecclesiam; & negant hanc esse Christi institutionẽ, cuius ipse est autor, & per mynisterium sacerdotum operatur.

eušeb. Eusebius emisenus nostro dogmati suffragatur, & clarè quod sentit enuntiat. Recedat (inquit) omne infidelitatis ambiguum: quoniam quidem qui autor est

muneris, ipse est etiam testis ueritatis. Nam inuisibilis sacerdos, uisibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis sui, uerbo suo, secreta potestate conuertit: ita dicens. Accipite & comedite, hoc est corpus meum. Et sanctificatione repetita, accipite & bibite ait: Hic est sanguis meus. Ergo sicut ad nutum præcipientis domini, repente & ex nihilo substiterunt excelsa cœlorum, profunda fluctuum: uasta terrarum: ita pari potestate, in spiritualibus sacramentis, ubi præcepit uirtus, seruit effectus. Quanta itaq; & quàm celebranda beneficia, uis diuinæ benedictionis operetur: & quod tibi nouum & impossibile esse non debeat, quod in Christi substantium terrena & mortalia conuertuntur, teipsum interroga, qui in Christo es regeneratus. Hæc Eusebius. Tantis itaq; patrū monumentis, & integerrimis doctrinis præmoniti, non ueremur asserere, panis & uini substantiā, in corporis & sanguinis Christi trāsire ueritatē: ut eorum nihil penitus maneat præter sensibiles species.

Quomodo dicta patrum intelligantur, qui panem uocant post sacra uerba, & quid fingant hæretici. Cap. 6.

Neque mouere quenquàm debet, si in patrum (quos supra memorauimus) uel aliorum catholicorum uirorum scriptis, sacrum mysterium, post diuina uerba, panis uel uinum nominetur. Veluti, Paulus, cùm de

1.cor. 10. corpore Christi loquitur, ait. Panis quē frangimus, nonne participatio corporis domini est? Et alio capite. Itaq; (inquit) quicunq; manducauerit panem hunc, & biberit calicem domini, indignè, reus erit corporis & sanguinis dñi. Item probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. In ijs nempè & similibus dictis, non panis intelligendus est, de aristis & spicis, qui terrenus est & triticeus, sed ille qui de cœlo est, qui de seipso loquens, ait; ego sum panis uiuus, qui de cœlo descendi. Est iterum, ego sum panis uitæ, qui uenit ad me nō esuriet. Est enim hic panis, qui alimentum animæ præstat, non qui corporeā nutriat substantiā. Neq; panis est qui præerat, sed qui successit, in quem ille mutatus est. Hic dicendi modus, in scripturis est frequens.

1.cor. 11.

ioh. 6.

exo. 7. Sicut in exodo legimus, Virgam aaron, uirgas magorū deuorasse, quando Pharao, magicis incantationibus per maleficos, contra dei signa, quæ per Mosem fiebant, se opposuit. Neq; enim tunc, uirgæ erant magorum, nec illa Moysi sed serpentes, in quos uirgæ erant ueraciter conuersæ. Quo fit, ut eorum nominibus res possint appellari, quibus secundū substantiam succedunt. Quanquàm nihil etiam prohibet, quin species & rei similitudo, eius nomen teneat, cuius est, uel fuerat. Quandoquidem cadauer defuncti hominis, eo nomine appellatur, quo prius, (cùm sub forma hominis esset, dicebatur. Herculis etiam uel Cæsaris figuram, nonne Herculem uel Cæsarem uocamus? Hos uerò loquendi modos, sæpe

in dictis patrum comperimus, qui iuxta regulam fidei intelligendi sunt. Quod hoc loco maxime est necessariū, ubi, ipsi etiā patres, alijs in locis, seipsos interpretantur. Nec ullum habent, cum hæreticis commertium, quoniam hi Christi uerba fœdant & natiuū sensum obtenebrant. Illi, quæ uera sunt dicunt, & in luce ueritatis ambulant. Hæretici nihil habent certum ex scripturis, neque ueteribus neque nouis. Et sua tantū a seerunt interpretamenta, quæ cæteris omnibus antiquioribus doctoribus aduersantur. Fingunt synecdoches, & uniones sacramē tales somniant, ubi opus non est. Noua quoq; rudimenta grammaticæ adinuenerūt, ubi pronomen, hoc, duas substantias omnino distinctas, potest (secundum eorum regulas) demonstrare, cùm tantum ad unum demonstrandum sit naturaliter institutum. Deniq; nihil eorum, quæ perfidi fabulantur, robur habet, quoniā cùm fundamentum non habeant, corruunt in seipsis.

Cumq; sic frigida sint eorū omnia, tantæ tamen sunt temeritatis, ut sibi credi uelint, contra patrum omnium sententias. Sed cùm cōspiciunt scripturis & rationibus omnino se esse destitutos, audent Apostatæ ipsi quoque ad reuelationes confugere, quas dicunt, in antiquioribus patribus, fuisse illusiones, & somnia, & impudentissimam dementiam. Quæ uniuersæ detrahunt ecclesiæ, sibi astruunt diuinitus esse reuelatum, & hac arrogātia, præsumunt asserere, penes se solos esse doctrinā ueritatis. Quo fit, ut apud eos solos quoq; sit uera ecclesia.

Id quod dicebant donatistæ, de seipsis, sicut refert Augustinus. Et sicut Montanus & Cathaphriges, *gloriabantur de spiritu sancto, ita hi quoq; putant, se solos habere spiritum sanctum, quibus (etiam sine scripturis) oporteat credere.* Visi sunt aliquando, *nihil uelle admittere (in ijs quæ fidei sunt), nisi quod expresse continetur, in biblijs sacris.* Nunc *solis nituntur reuelationibus, & hoc solum & unicum est eorũ refugium.* Quandoquidem *cum solas acceptent scripturas sacras, si quis interroget, quas habent pro sacris; respondebunt, adprobatas per spiritum sanctũ.* Si repetas, *quis adprobauit?* Respondebunt, *spiritussanctus.* Rursus *si dicas; quibus ministris?* Statim *nutabunt; nec aperte respondebunt.* Timent *enim fateri ecclesiam Christi sponsam, fuisse ministram.* Ideo *respondebunt, se habere spiritum sanctum, qui sic spirat eis esse credendũ.* Et *ut aliud respondeant, ab eis nihil poteris extorquere.* Proinde, *spiritum sanctum, sine alio aliquo internuncio, uolunt suæ fidei (qua credunt scripturis) unicum esse autorem, qui eis quoq; reuelauit, unionem illam sacramentalem, & idiomatum participationem, quæ esse potest; per substentationem panis (seu paneitatis) in diuino supposito, unà cum humanitate assumpta, ut unum suppositum, in tribus naturis, scilicet, deitate, humanitate, & paneitate, fiat.*

Ironia Hæc *sunt, quæ gloriantur sibi per spiritum sanctum reuelata, sine scripturis.* Quæ *nimirum, signis, prodigijs, & miraculis, probabũt, ad kalendas græcas (ut est*

in prouerbio) quis credat ijs peruersis impostoribus, qui insanius errant quàm ullus unquàm hæreticorũ? Nullus certè post montanum & Cataphriges, tanto furore præsumpsit asserere; sua somnia esse à spiritu sancto; quæ sunt contra doctrinam sanam omnium catholicorũ: præter hos phanaticos, illusores, qui (sicut Maumeth admissa carnis libertate) uniuersum orbem corrumpũt. Horum error, in duplo superat errorem Berengarij. Et merito certè: quia oportuit discipulos in duplo esse peiores magistro. Ille, est, pro significat intelligit; ubi non conuenit; uos nouas uniones, & nouas demonstrationes fingitis: quas ex uestro spiritu somniatis: Et ad uos solos quoq; uendicatis, dictum Ioel cùm ait: senes uestri somnia somniabunt. Quibus magis conuenit, quod dicit Esaias: de spiritu uertiginis, quem miscuit dominus in medio uestri: quo errare fecistis egiptum, in omni opere suo: sicut errat ebrius & uomens. Quoniam (ut alibi dicit) miscuit uobis dominus spiritum soporis. Ioel. 2. Esa. 19

Quare hic uester spiritus, non est spiritus ille sanctus, unionis & pacis: qui docet omnem ueritatem: qui regit, & administrat, ecclesiam: & cum ea manet in æternum sicut promisit Christus: sed est spiritus falax: nequam, spiritus dissensionis: & seditionis qui uos coegit recedere à catholicis. Hic est doctor uester, qui uos docuit, uerba Christi esse methaphorica: esse synecdochã: pronomen, hoc, non esse singulare demonstratiuũ: dictum Christi non esse identicum: in uerbo, est, inesse. Io. 16. Io. 14. 3. reg. 22.

unionem sacramentalem, hactenus non cognitam: & re-
Ironia liqua portenta uerborum, sanè stupenda & noua. Hæc
Ioh.16 sunt, quæ portare nō poterant Apostoli, neq; patres no
stri. Ideo ad uos in fine seculorū, missus est spiritus san-
ctus: qui uobis hæc secreta reuelauit, contra omnia, quæ
nos docuerunt Apostoli: & eorum legitimi successores.
Hinc uos nouā cōstituitis ecclesiā: nouos ministros: solo
spiritu sancto unctos: nō oleo. Fietq; tandem, ut baptize
tis, in solo spiritu, nō in aqua, & deniq; ut quoq; dicatis
scripturas omnes superfluas esse, & inutiles. Quoniam
omnia ad salutem necessaria, scripta sunt, in cordibus
uestris, per spiritum sanctum qui datus est uobis. Hanc
uos dicitis esse doctrinam Anabatistarum: quibus certè
occasionem nō minimam præstitistis. Et licet uerbo te-
nus, eos impugnetis, tandem cadetis cum eis, in has in-
sanias, qui magis absurda quàm illi dicitis.
Cogor mehercle, remittere concitatiorē spiritū, quòd
uideam uos, sine fructu suscepisse causam: contra eccle-
siam, & catholicū cōsensum totius orbis. Dicite quæso,
cur suscepistis, bellum inutile contra sacramentū eucha-
ristiæ? Cur remanere asseritis panis substantiā? An for-
tè timetis, panē uobis deesse, in prophana uestra cœna,
quam dñi esse dicitis: & mensa demoniorum est? Non
puto uos dicere: deum non posse facere, accidentia sine
subiecto. At dicetis, posse id quidem facere: sed factum
negatis. Nos ex naturali ui sermonis, & rerum intelli-
gentia, factum à Christo probauimus: & (quantum

fieri potest) à communi loquendi usu non recedimus. Quare (cùm Christi uerba, plana sint, & lucida) mutationẽ substantiæ fieri dicimus. Quid enim obest Christianæ philosophiæ, si hanc mutationem fateamur: negemusq; panis substantiam esse reliquam?

Quod dei potentia fieri potest, ut maneat etiam panis substantiæ, quod uero factum sit, non debet admitti à catholicis. Cap. 7.

NEq; propterea tamen negandum est, diuina omnipotentia, fieri posse, quòd in unum suppositũ diuinum, natura panis, & natura humanitatis assumantur; fiantq; ydiomatum communicatio, ut non absurda sint omnia quæ supra dicta sunt. Quandoquidem diuinæ omnipotentiæ tota ratio, est eius uoluntas: & ad hominis capacitatem, arctari non debet eius potentia. Quia in rebus mirabilibus (inquit Augustinus ad uolusianũ) tota ratio facti, est potentia facientis. Veruntamen, nulla uis facienda est uerbis domini: nec debemus nouum sensum effingere, qui omnino sanæ intelligentiæ contrarius sit. Nec debemus uel addere, uel minuere, quòd possit iuste redargui: si uerba Christi in alium sensum torqueantur. Ad hæc, habemus patrum sententias, uno consensu, ipsum nostrum dogma de mutatione substantiæ, asserentium. Accedit decretum ecclesiæ, à quo impium est discedere.

Aug. Epist. 3.

Quomodo ergo possunt sine crimine reprobari, tot sententiæ? Iesus ipse dixit, Hoc est corpus meum, quod pro nobis tradetur. Hoc igitur credamus, istud teneamus. Si corpus Christi est, panis non est. Ypostaticam illam unionem, Christi corporis cum pane, non admittamus: ut sola hæc gratia diuinæ unionis, semini abrahæ reseruetur: cui promissa est.

Scimus quosdam, nō contemnendos theologos, in hac fuisse sententia: posse faciliter sustentari, panis substantiam remanere in eucharistia. (Et quod de pane dicitur ad uinum referri potest) nisi ea quæ diximus, presertim decretum ecclesiæ, obstarent. Tunc enim (inquiunt) pauciora fierent miracula: quæ sine necessitate multiplicanda non sunt. Non enim remanerent accidentia sine subiecto: quod ratione naturali fieri non potest, nec ex non substantijs fieret substantia, quod omnino fateri cogimur, si quis ex sacratis hostijs cibum sumat. Tunc enim accidentia in substantiam commutantur. Alioqui aliud admirandum magis concedere oportet: uel quod, ex non ente fiat ens, (& erit creatio nouæ creaturæ in substantia aliti) uel quòd, sola præsentia sacramentorū uim habeat nutriendi. Illud uerò penitus abijciendum est, & sacrilegum, si quis dicat, carnem & sanguinem Christi, in corpus nostrū mutari, & propriè coalescere, cum nos magis in diuiniorem naturam transeamus.

Nec obstat, quod Hylarius, Cyrillus, aut Ireneus uideantur hoc ipsum sentire, in sententijs quas supra in

primo libro retulimus: qui unionem quandam, carnis nostræ, cum carne Christi naturali, per eucharistiam fieri dicunt. Aliud enim agunt, in locis suis uiri illi doctißimi: quàm nos. Et iuxta id quod agunt, interpretandi sunt. Ipsi enim ueritatem carnis Christi in sacro mysterio, (ueluti certam, cui contradicere, auderet nemo) præsupponebant, & ex ea, Christum in uera & naturali carne resurrexisse: & deinceps, ex uera Christi resurrectione nos uerè in carne resurrecturos, concludebãt. Hanc illi uocant cognationem carnis: qua augetur & consistit carnis nostræ substantia (ut dicit) Ireneus quia caro Christi resurgens, carni nostræ spem & uirtutem resurrectionis exhibuit. Nos uerò hic agimus de corporeo carnis alimento, quo corpus nutritur & augescit, transeunte cibo in carnis nostræ substantiam: per naturalem caloris uitæ operationẽ: quod de carne Christi asserere, nimium est absurdum. Hæc igitur quæ diximus, & alia admiranda, non fierent: si panis & uini substantia, in sacro mysterio remanerent.

Ego quoq; (ingenue fateor) in ea quandoq; fui opinione, nihil fortasse officere Christianæ pietati, si permittatur adesse panis substantia, dummodo, uera Christi corporis præsentia non negetur. Opinabarq; articulũ de absentia panis, inter eos computandum, quos cõsensu doctrinæ, & fidei pietate tenemus: non neceßitate. Verum, dum hoc negotium penitius intueor: non ab re, iudico, patres omnes, totamq; ecclesiã, fiedeliter tradidisse,

esse credendum: quod nihil omnino maneat panis aut uini substantiæ. Primũ quia uerba Christi manifesta sunt, & hunc sensum præ se ferunt.

Deinde ex postliminio, in eorum incideremus errorem, qui, est, pro significat accipiunt. Deniq; periculum foret, ne facile posset idololatria committi: si ea adoratione panis adoratur, quæ ad Christum referri debet. Nec obstat, quod de accidẽtibus potest opponi; quia de ijs facilius, plebs potest, rectè institui. Proindè ij, qui aliquando opinati sunt, ea quæ diximus: non sunt moliti facere schisma in ecclesia: sed eius decreto, se humiliter submiserunt. Quoniam illa quoquè uiderunt se qui absurda omnia, & super ea alia: quæ diximus: si panis substantia maneat, per substentationem. Atquè inter hos scopulos positi, adhærendum decreto ecclesiæ iudicarunt: admirandaquè illa accidentium opera, diuina uirtute fieri putauerunt: aut quomodo fiant non curauerunt curiosius inquirere. Malunt enim pij, quædam humiliter ignorare: quàm, quæ supra se sunt, superbè sapere. Vos in sacro mysterio nihil admirandum permittitis; & ut alios in errore teneatis, omnia miracula, quæ fiunt diuina uirtute; esse dicitis uisibilia. Et cùm hæc non uideatis: negatis esse miracula. Et (quòd magis damnandum est) quæ fieri non uidetis: ea quoquè fieri negatis. Veruntamen omnino falsum est, quod impudenter iactatis: omnia scilicet miracula, esse sensibus manifesta. Nempè, multa

admiranda operatur deus: quæ fiunt insensibiliter? Quæ si fieri negentur omnino inter catholicos haberi non possunt. Creat deus animas, & inuisibiliter infundit. Deinde, quomodo fides in miraculis exigitur: si omne miraculū est uisibile? An nō inter admiranda Christi incarnatio, duarū naturarum unio: & plura huiusmodi quæ insensibiliter & super sensus & intellectum facta sunt, annumerantur? Vos quoq; qui cum pane corpus Christi unitis, nonne, hanc unionem, quasi rem admirandam prædicatis, & tamen eam uos non uidetis? Quomodo ergo omnia miracula dicitis esse uisibilia? An forte uisibilia miracula uocatis, quæ in sacris scripturis uidentur? At dicite, quis uestram unionem sacramentalem, uidit in scripturis? Non est ergo uisibilis: quæ nusquam uidetur. Nos aperto dei uerbo, causam nostram demonstrauimus. Panis & uini substantiam, cum corpore & sanguine Christi, in eucharistia non posse subsistere. Non, quod id deus efficere non possit, sed quia Christi institutioni, omnino resistit. Vestra uero unio, locum nullum habet: quæ inuisibilis ideo est, quia nihil est: nisi cum Ydeis platonis delitescat: quam ostendere non potestis; qui à uera ecclesiæ unione defecistis: ut fictam unionem haberetis.

Hæretici qui ueritatem Christi corporis cum substantia panis asserunt manere eam unionem nituntur probare. Cap. 8.

Duplex hæreticorum Genus est contra quod certamus. Quidam corpus Christi & panis substantiam in sacramento eucharistiæ esse credunt; alij uerò solum panem esse uolunt, & Christi corpus prorsus abijciunt. Habent primi nonnullas patrum sententias, qui

Dam. eis cõsentire uidentur præsertim Damasceni libro quar=

c.14. to orthodoxæ fidei qui sic dicit. Et nunc interrogas, quomodo panis fit corpus Christi, & uinum & aqua sanguis respondeo tibi & ego, spiritus sanctus obumbrat, & hæc operatur super sermonem & intelligentiam: panis autem & uinum transumuntur & paulo post, quemadmodum (ait) in baptismate, quia consuetudo est hominibus aqua lauari & oleo ungi, coniunxit oleo & aquæ gratiam spiritus sancti, & fecit illud lauacrum regenerationis, hunc in modum quia mos est hominibus panem manducare & uinum & aquam bibere, coniunxit his ipsis suam diuinitatem & fecit hæc suum corpus & sanguinem.

diony. Item Dionysius libro de ecclesiastica hierarchia uo=

c.3. cat hoc sacramentum assumptionem.

Ireñ. Rursus obijciunt Ireneum, qui libro quarto aduer=

c.34. sus hæreses dicit eucharistiam constare ex duabus rebus terrena & cœlesti.

de con Sed multo magis, confeßio Berengarij uidetur ijs fa

dist.2. uere: qui confeßus est coram Nicolao Romano pontifice, & alijs pluribus episcopis, panem & uinum, quæ in altari ponuntur post consecrationem: non solum sacra=

mentum

mentum: sed etiam uerum corpus & sanguinem domini nostri Iesu Christi esse: & sensualiter, non solum sacramentum: sed in ueritate manibus sacerdotum, tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri. Hoc sanè dictum nō aliter intelligi potest (inquiunt) nisi per communicationem ydiomatum: quia atteritur secundum paneitatē, & integrum manet secundum humanitatem.

Neq; sufficiens illorum uidetur esse responsio, qui dicunt in dicta confeßione, quod dicitur, non solum sacramentum: sed in ueritate manibus sacerdotum tractari: frangi, & fidelium dentibus atteri: uerbum tractari: referri ad id quod dicitur manibus sacerdotum: quod de uera corporis Christi substantia intelligi potest, quæ in manibus sacerdotum est, sacram eucharistiam tractantium: sequentia uerò uerba, (scilicet frangi, & fidelium dentibus atteri) ad species: sub quibus corpus Christi integrum sumitur, referenda sunt. rñsio.

Non uidetur (inquiunt) hæc sufficiens responsio: quoniam uiolenter nimium, & non planè, uerba confeßionis accipiunt: quæ in consessu tantorum patrum clara esse debuit, quos non est uerisimile passos, errorē ueterem, nouo diluere errore: si pariter falsum esset, quod exteriori confeßionis sono, fatebatur Berengarius. Si uera ergo est eius confeßio, uerum quoquè est, substantiam panis remanere cum corpore Christi: propter quod ydiomatum communicatio facta est ut diximus. impugnatio rñsionis.

Instantius urgent aduersarij, ex uerbis euangelij

lu.22. Luce, & apostoli, Lucas enim dicit, dñm accepto, po-
1.cor. culo sic dixisse. Accipite, & diuidite inter uos. Et Pau-
10. lus ait, panis quem frangimus ecce (inquiunt) in ijs dictis, eucharistia dicitur panis, qui diuiditur, & frangitur, quod proculdubio ad corpus Christi non potest conuenire. Fit ergo, ut ad substantiam panis & uini cõtrahatur: quæ & frangi & diuidi potest.

Ad obiecta, quæ per damascenum & reliquos patres proponũtur, non est difficile respondere. Quia nullo modo, nobis sunt contraria, nempe damascenus, non sentit, quòd aqua baptismatis, unum fiat unitate suppositi cum spiritu sancto; & quod uinum & aqua, sic assumantur. Sed sic intelligendum est, quod sicut aqua assumitur ut materia sit sacramenti, baptismatis, sic panis & uinum sunt materia sacri mysterij, sed tamen ista transiens, ista permanens, quia non mutatur in spiritum sanctum aqua, sed panis & uinũ transsubstantiantur in corpus & sanguinem Iesu Christi, quæ transubstantiatio à damasceno assumptio dicitur, hic sensus uerborum damasceni ex uerbis eius in sequentibus demonstratur, ubi sic (ait) quemadmodum naturaliter per comestionem, panis & uinum, & aqua per potum in corpus & sanguinem comedentis, & bibentis transmutantur, & non fit aliud corpus: ita & panis propositionis, & uinum & aqua, per mutationem, & aduentum spiritus sancti supernaturaliter, transit in corpus domini & sanguinem. Et ideo nõ

ſunt duo, ſed unum & idem. Non igitur intēdit Damaſcenus, panis & uini remanere ſubſtantiam, & à uerbo diuino aſſumi in ſuppoſito, ſed in corpus & ſanguinem tranſire: & diuinitati uniri. Sed ex ijs alia ſub oritur quæſtio, quomodo uniri dicitur, quod aſſeritur annihilari? Quia ſcilicet corpus Chriſti, quod ſuccedit, diuinitati eſt unitum. Quod uerò eodem capite ait, deū coniugaſſe diuinitatem pani, ad ſpecies panis referendum eſt, quibus corpus Chriſti unitum diuinitati, ineffabiliter cōtinetur, & quia ineffabilis modus eſt, uanū eſt ulterius, quicquam inquirere. Et ita cōiungauit pani & uino diuinitatem ſuam, non ut illa remaneant: ſed ut inde corpus & ſanguis ſuus trāſmutetur & fiat. Dionyſius, ea quoque ratione hoc ſacramentum aſſumptionem appellat: non quòd quicquā panis aut uini maneat, quòd aſſumatur: ſed quia panis & uini ſubſtantiæ, diuinior natura ſucedit. Quòd uerò Ireneus, dicit eucharistiam ex terrena & cœleſti conſtare natura, uerum quidem eſt: quòd non fit ſine eis, quia panis & uinum, quæ terrena ſunt, ad conficiendam eucharistiam ſunt neceſſaria: non ut maneant: ſed ut tranſeant. inſtantia. ſolutio.

Nonnullam habet difficultatem, quod de confeſſione Berengarij adijcitur. Tamen nos totū dicimus de ſpeciebus ſacramētalibus debere intelligi. Nec obſtat, quod cōfeſſio pura & clara eſſe debeat, in tanto patrū conſeſſu, & pontifice ſummo nicolao; quandoquidem craſſam hanc, maluerint ab eo fieri confeſſionem: ut magis

eius stultitia redargueretur, qua uerum adesse Christi corpus & sanguinem denegabat: & iam prius abiurauerat, relapsusq; fuerat. Ideò loquendi modum passus est excedere, ut distinctius & quasi per hiperbolem loqueretur: quo certum esset ipsum confiteri, ueram corporis & sanguinis Christi substantiam adesse mysterio: cuius substantiæ proprium est contineri, diuidi, atteri, licet ad solas species in hoc mysterio pertineat. Nec ullum fuit periculum ex eius confeßione, quæ coram prudentibus facta est, & exceßiuum loquendi modum ea (quam diximus opinor) ratione, admiserunt.

Quæ citant ex Luca & .b. Apostolo, ex ijs quæ diximus soluta sunt: quia frangi, & diuidi, ad sola accidentia referri debent: quæ (cùm sine subiecto sint) quandam naturã substantiæ adepta fuerunt: ut frangi dicãtur, & conteri. Hæc est orthodoxa respõsio, quæ diuinæ omnipotentiæ innititur. & gloriam eius cõfitetur, in laudem Christi institutionis.

Quod Zuinglianorum hæresis penitus corruerat, nisi Adamus quidam opem tulisset, qui transubstantiationem impugnat. Cap. 9.

LVtheranorum acie dirupta, qui dicunt panis & uini substantiam in sacro mysterio remanere. Et Zuinglianorum agminibus fugatis, qui sacramentum eucharistiæ (quod uocant cœnam domini) merum esse

signum affirmant: nulla fermé erat reliqua spes, præsertim de Zuinglianis: quos in publico conflictu, lutherani debellauerant: & ad ponenda arma coegerant, cuius cōflictus memoriam, optat Caluinus Gebenensis minister, penitus aboleri: quoniam multorum conscientias perturbauit. Nulla *(inquam) erat spes de Zuinglianis, nisi, disperso, atq; confuso eorum exercitu: præter omnium spem, prodijsset, ex insidijs.* Nouus *cuneus: qui ex speluncis humanæ rationis, & frōdiosis siluis sophismatum prosiliens, uniuersam Zuinglij damnatam: & à suis quoq; abiuratam doctrinam, (coacto exercitu) fugientes reduxit ad prælium.* Huic *cuneo (nisi me fallat coniectura) antesignanus est.* Vir *admodū grauis, qui se genuino nomine (non omnibus noto) appellauit, & per allusionem uocauit ex Adamo, Phrasis enim seu loquendi modus, & dictandi industria: facultas persuadē di: uis argumentādi, & promptitudo, nec non (quæ solet miscere) dicteria, eum mihi uirum totum representant, cuius ab ecclesia defectionem unicè doleo & deploro, & nunc (deus mihi testis est) dum hæc scribo, defleo, & abundantißimas lacrimas effundo, hominē octogenarium in Gymnastica litteraria theologorū exercitatißimum, derelictum à deo & permissum in tātum, & tam abominabile, cadere deliriū, ut sui obliuiscatur, & ueluti phreneticus eadem arma, quibus pro (quæ eum regenerauit Christo) matre annos plus quadraginta à concionibus, corripiendo: consolando: hortando:* Cal.

pugnauerat, heu nunc (flens dico) eadem (inquam) arma arripiens senex, delirus, & phreneticus, reuoluta crudeli cuspide, tenerrima piæ matris uiscera, in quibus regeneratus est, crudeliter nimiũ ferit & percutit. Quis non tristetur? Quis non doleat? Quis non opem ferat miserrimæ matri, quæ pro phrenesi filij, maiorem sentit dolorem, quam pro seipsa quæ uim patitur iniustam? Contra hunc itaq; cogor (uel inuitus) insurgere, phrenesin reprimere: atque furiosos ictus repellere. Homini (absit) ut uelim inferre malum: cuius salutem ex intimis cordis desidero & quo ad fieri possit hortor: ut ad seipsum redeat, ne æternaliter pereat.

Arma adami huius ad me delata sunt idibus Iulijs, postquàm iam typis cudi cœptum est hoc opusculum. At ne in immensum crescat uolumen, quod pro enchiridio facere institui: mox uideamus quo furore maniacus iste, miserandus, uenenata suæ disputationis argumenta, (ueluti ferrum ensem) uibret in uiscera ecclesiæ. Verum enim uerò, nõ huc omnia adducenda putauimus: quæ petulanter, atq; impiè, tradit in sua anotomia. Me nempè cogit temporis angustia, ut in præsens nequeam quòd uolo. Ideo ad ea solum argumenta respondebimus, quæ commemorat, in sermone de sacramento: in quo cũ duas repullisset positiones, primam catholicorum assentientium corpus Christi & sanguinem, re ipsa esse in sacramẽto, transubstãtiatis pane & uino in corpus & sanguinem Christi: alteram Lutheranorum, qui cum

corpore & sanguine Christi, panis & uini substãtiam dicunt remanere. Tertiam positionem stabilit, quæ est Zuinglianorum, asserentiũ corpus & sanguinem Christi in cœlo esse ubi sedet ad dexteram patris: neq; esse realiter, & corporaliter in sacramento: sed dicũt, panẽ & uinum, signa esse instituta, ad significandum corpus & sangninem, quæ Christus dedit in nostram redemptionem, & in satisfactionem peccatorum nostrorum. Hanc dicit Adamus, esse ueram & catholicam sententiam, scripturæ sacræ conformem & doctrinæ ueteris ecclesiæ, & antiquorum doctorum. Fundamenta uero huius positionis, dicit esse firma, & adeò stabilia, quòd nulla mundi machina sufficit ad destruenda: quoniam supra firmam petram fundata sunt, idest adhærent ueritati dei, & uerbo suo, quod stat in æternum.

In primis, demiror quid in mentem uenerit Adamo, quòd hanc suam præsumat positionem uocare catholicam, idest uniuersalem: quam nullus patrum tenuit. Quinimo omnes uno consensu ei aduersantur sicut abundè supra ostendimus. Quòd si uniuersalis est, debuit locos patrum adducere, nõ gloriari in solo nomine. Dispeream, si uel minimum textulum comperiat in dictis patrum, ad probandum quod inaniter iactat. Ideo apparet statim, in initio suæ disputationis, ob cœcatum fuisse: atq; ipso in limine impegisse, quod est infœlicitatis indicium: quoniã non bono peraguntur exitu, quæ malo sunt inchoata principio. Cur ergo uocat catholicam

sententiam, quae ab omnibus reprobatur? Nisi ut solo nomine, catholicorum, plurium sibi cociliet fauorem, quasi rem catholicam acturus: atq; hoc modo imponat simplicibus & incautos decipiat. Mox quoq; dicit eam sen=tentiam scripturae sacrae conformem, quae scripturae sacrae maxime aduersa est: contra Christi uerba pugnās. Quòd uerò addit de doctrina ueteris ecclesiae, & doctorum antiquorum, falaciter agit: ad id quod diximus de fauore conciliando. Et ne cum paucis errare uideatur, multos sui criminis insimulat per calumniam.

Postremo iactanter abunde, & arroganter de se praesumens, fundamenta suae positionis dicit esse firmissima: ut nulla machina sufficiat ad demoliendа, ueluti super petram fundata, in ueritate, & uerbo dei. Haec uerba pertinacis animi indicia sunt, suae prudentiae innitentis, qui non cedat prudentioribus & iudicio ecclesiae. Et tamen argumenta eius inania sunt, & sophistica, plus apparatus habentia, quam uirium, & iuxta prudentiam carnis, sunt nihilominus deceptoria: super umbram somnij fundata, & contra ueritatem & uerbum dei conficta. Sed praestat ea uidere, ne solis uerbis pugnare uideamur.

Quibus argumentis utatur Adamus, ad improbandam ueritatem sacramenti, & astruendum panem & uinum esse illud, quod exibetur in eucharistia. Cap. 10.

NOu secus, atq; Zuinglius, putat Adamus, in expugnabilia esse sua argumenta: quibus nō possit ferri responsum. Sed ille coniecturis agit, (signis scilicet & instrumentis) hic cautius retia tendit, atq; apparentibus rationibus sua corroborat argumenta: quæ si in speciem considerentur, (ueluti reliqua humanæ rationis figmenta) ualida sunt, sana, & firma: sed si introspexeris, inania sunt, infirma, & putrida.

Arguit primo ex diffinitione sacramenti, quam habemus ab Augustino: & quæ ab omnibus approbatur: non esse necessariam mutationem substantiæ, in sacramentis. Quia Augustinus, diffinit sacramentum, esse sacræ rei signum. Quod si signum est (inquit) nō oportet fieri mutationem, panis & uini in aliam substantiā: licet nouam acquirant significationem. Neque pariter oportet, corpus & sanguinem Christi realiter & corporaliter, pani & uino adesse præsentia. Quia signa, ut signa sunt, nec mutant substantiam, nec signatorum, necessariam exigunt præsentiam: uel alioqui inclusionem. Exemplum de imagine Cæsaris, quæ cùm aliud sit nihil, quàm signum Cæsaris, nunquàm dicemus, uel Cæsarem esse in ea, uel mutari eam in Cæsarem. Quoniam si Cæsar præsens adsit, eius imaginem statuere non oportet. Ob id enim tātum imago ponitur, (dum de corporalibus loquimur) quia quod significatur, non est præsens. Ita ergo (inquit) de pane & uino dicendum est, quæ deus instituit, ad repræsentandum corpus &

sanguinem Christi: quæ pro nobis tradidit in nostrã redemptionẽ. Quare non est necesse, corpus & sangunẽ adesse. Minus oportet panem & uinum in illa mutari, quia sufficit eis esse signa, quæ sine illis esse poterunt. Horum omnium ratio est (inquit) quod eucharistia, siue (ut pauli uoce utar) cœna domini, nihil est aliud, quàm sacramentum, ergo nihil aliud quàm signum. Signum autem, non est res ipsa, nec mutatur in eam, quam significat: sed est signum eius. Ergo panis & uinum, non mutantur in corpus & sanguinem Christi, nec pariter corpus aut sanguis includuntur in eis, sed solum representantur per illa.

Hæc est prima ratio Adami, quam pluribus uerbis ampliat: & quam breuius contrahere potuisset. Voluit tamen eam uerbosius proponere, ne uerborũ inopia causam suam uideatur relinquere, cùm habeat tantum belli apparatum, & tot arma bellica, ad impetendos aduersarios. Totius igitur huius rationis basis est. Quia signis, ut signa sunt: non est necesse mutare substantiam, aut alioquì, significata signis adesse.

rũsio. *Hæc ratio, multis modis peccat. Primo in calumnia, quæ in qualibet controuersia damnanda est: quanto magis, in hac re tam seria, & diuina, in qua deus nostro non eget mendacio? Fingit enim catholicos, eò mutationem substantiæ in sacramento eucharistiæ asserere quia sacramentum est, & signum: quod nequaquàm faciunt, Sed dicunt, nihil obesse rationi sacramenti,*

etiam si fiat substantiæ mutatio, quæ reuera fit in eucharistia: & sacramentum esse non desinit. In sacramento baptismi, nulla fit huiusmodi mutatio: & tamen aqua, materia sacramenti est: sicut panis & uinum eucharistiæ, quorum accidentia sola remanent sacramenta: quæ rem præsentem significant. Neque enim auferimus à sacramentis, suam diffinitionem, sed dicimus cùm Augustino, esse signa rei sacræ. Sed dices. Qui aufert rei substantiam, aufert & id quod est signum: quia quod non est, eius quod est non potest esse signum. Respondemus, falsum esse quod assumitur. Quia potest substantia transmutari solis remanentibus accidentibus, quorum, etsi natura sit, inesse substantiæ, ueruntamen cùm essentiam habeant distinctam à substantia, possunt pariter (diuina uirtute) suum esse, habere diuisum. Et uerum quidem est, quòd res quæ non est, eius quod est, signum esse non potest, sed nos dicimus, panis & uini accidentia esse, quæ sunt sacramenta. Quapropter non dicimus, in sacramentis, ut sint sacramenta, uel signa: necessariam esse substantiæ mutationem, neque affirmamus, necessariam esse, signatorum, uel præsentiam, uel inclusionem. Sed & hoc pariter confitemur, nihil obesse sacramentis, (ut sacramenta sint) si mutatio fiat substantiæ, uel alioqui, si quod sacramento significatur, præsens sit, uel includatur in eo: quod de sacramento eucharistiæ fideliter credimus.

oppo.

solutio

oppo. Deindè, multo magis peccat in causa, cùm horum omnium suorum, rationem esse dicat: quod eucharistia, seu cœna domini, nihil aliud est: quàm sacramentum, ergo nihil aliud quàm signum. Signum autem non est res ipsa, nec mutatur in eam, quam significat: sed est signum eius: ergo (inquit) panis & uinum non mutantur, in corpus & sanguinem Christi: nec pariter corpus aut sanguis, includuntur in eis: sed solum repræsentantur per illa.

solutio Bone deus? In quot necessarijs, deficit hæc ratio: quã summam putat totius rei? Præmittit primo, quod probare debuit: uidelicet, eucharistiã nihil esse aliud, quàm sacramentum. Quandoquidem sacramenta inquantum talia (idest ut sacramenta) si nihil sint aliud quàm sacramenta. Quia relatio (ut relatio) totum quod est: ad aliud dicitur, (sicut ait philosophus) illud tamen quod ad aliud refertur: præter id quod refertur, aliud est.

Aug. c. 1. Inquit enim Augustinus septimo de trinitate, omnis essentia quæ est aliquid ad aliud, est etiam aliquid excepto relatiuo. Sacramentum igitur, in ratione sacramenti, solum denotat, quod est signum sacræ rei, ex quo tamen, inferri non potest, quòd simpliciter non sit aliud: aut quòd non contineat aliud. Prius est enim panis & uini substantia, & eorum accidentia, quam quod sint sacramenta. Quæ cùm sacramenta fiant nouum significandi modum acquirunt: & id quidem ad sacramenti rationem sufficit. Sed potest deus sacramentorũ substan-

tiam (remanentibus accidentibus) commutare, quibus corpus & sanguis Christi præsentia sint : uel modo ineffabili contineantur: & tamen sacramenta esse nō desinant. Quapropter prima hæc ratio sophistica est, & multipliciter falax. Cum quòd supponit, quod probandum fuerat: tum quòd per falaciā accidentis deprehendi potest, nec non consequentis: ut uel leuiter instructus in elenchis, facilè poßit has captiosas deprehendere argutiolas. Ideoq; *quoniam mutatio substantiæ, in sacramēto eucharistiæ, & corporalis Christi præsentia, uim sacramenti non auferunt; ex diffinitione sacramenti: non potest* Adamus, *catholicam nostram ueritatē infringere.*

Secunda eius ratio est, quia hoc sacramētum, à Christo fuit institutum, in memoriam, testificantibus eius uerbis, cùm ait. Hoc *facite in mei commemorationem.* Non *ergo necesse est, Christum corporaliter adesse : minus, quòd panis & uinum muteutur: quia ista sufficiunt ad memoriam paßionis Christi, & nostræ redemptionis.* Q*uinimo (inquit) non modo non est necessarium, corpus & sanguinem Christi adesse: sed si adessent, frustra & inutiliter adessent: quoniam nihil prodessent ad memoriam, cùm non uideantur : & oportet signa ad memoriam instituta, esse uisibilia.* Ad *hoc enim ordinata sunt (ut inquit Chrysostomus super* Matheum *homilia octuageßima tertia) ut per ea ueluti certa signa uisibilia, excitaretur animus noster ad spiritualia, & inuisibilia, per ipsa sacramenta significata.* Ideo *ab* Augu=

2. rō. adāmi. luc. 22 1. cor. 11. chrys.

stino uocantur uerba uisibilia, quæ si essent incorporea non oportebat institui.

solutio Hæc ratio soluta est, & in suo somnio perseuerat Adamus, fingens, nos assere Christi præsentiā in sacramēto: & mutationē substantiæ, ad commemorationē Christi. Quod haud facimus. Accidētia enim panis & uini, ad faciendā memoriā (quia sacramēta sunt) id efficiūt. Ideo uerò præsentiā Christi, & mutationē substātiæ astruimus, quia sic fieri, suis nos uerbis Christus instruxit.

oppo. adami. Et cùm subiungit, quinimo, si adessent, frustrà adessent, quoniam nihil prodessent ad memoriam: quia oportet signa esse uisibilia per ea, quæ dicit Chrysostomus & Augustinus.

rñsio. Respondemus, & hanc rationem, non minus esse sophisticam: quàm primā: & quia mutat terminos, & laborat in equiuoco, proindè dicimus, sacramēta esse signa uisibilia: & sub signis uisibilibus, res contentas inuisibiles cōfitemur, & adoramus, ea uerò, quæ sunt sub signis uisibilibus, (idest corpus & sanguis Christi) si aliquando sacramenta uocantur: sacramenti nomen, alia ratione accipitur: quàm sit ab Augustino dictū. Quod enim nos sacramentum dicimus, Græci uocant mysterium. Mysterium autem omne appellatur, quod arcanā & sacram rem continet. Quo fit, ut magis contractè, sacramentum capiat Augustinus: quàm latitudo mysterij cōprehendat. Corpus ergo & sanguis Chrysti, mysteria sunt stupenda, quæ non frustra adsunt: licet non

uideantur. Fidem enim nostram probant, & abundantiorem Christi in nos charitatem demonstrant.

Ad hæc, suam confirmat rationem, quoniam uel corporalis Christi præsentia, & substantiæ mutatio in sacramento fit, ex communi ratione sacramentorum, uel propria: non communi, & id probat, per sacramenta alia ueteris & noui testamenti; à quo non dissentimus. Et sequitur: non est dicendum inquit, quod ratione singulari, & propria, Christus corporaliter adsistat; uel quod fiat substantiæ mutatio. Quoniam ratio particularis, huius sacramenti est, cùm, quòd signa habeat à cæteris distincta, tùm quòd ad specialem memoriam Christi mortis, in nostram redemptionem institutum fuit. Hæc uerò fieri possunt, sine corporali Christi præsentia: & mutatione substantiæ. cōf. r. adami

Hic dicimus, hanc esse propriam prærogatiuam huius sacro sancti mysterij: non id tantum, quòd signa sint, ab alijs distincta & specialiter ad memoriam instituta, sed hoc præcipuum est, in hoc admirando mysterio suspiciendum: quòd Christus totus, sua naturali carne adsistat, quàm traxit ex uirgine. Panis quoque, & uini substantia, in corpus & sanguinem Christi transubstantietur, Ideo hoc sacramentum, cæteris omnibus excellentius est, & præcipuus, quòd non solum Christi mortem representat, sed ipsum Christum nobis offert, in mysterio manducandum. rũſio.

In ultimo articulo, huius secunde rationis: arguit, oppo.

oportere manere, panis & uini substantiam; alioqui, nō habere ullam similitudinem, cùm eo quod per sacramentum significatur. Hinc corruet, tota uirtus sacramentorum, & non erunt uera, sed falsa signa. Veluti de baptismate in aqua, quod habet similitudinem, cum lotione spirituali, ut sicut aqua mundat corpus, ita spiritus mundat animam. Hæc uerò similitudo non congruit, nisi aqua, in baptismate remaneat. Ita pariter de pane & uino dicendum est, quòd nisi in sua substantia permanserint, non habeant similitudinem, cum corpore & sanguine Christi. Quia sicut panis & uinum corporaliter nutriunt, ita corpus & sanguis Christ spiritualiter sustentant. Hæc uerò similitudo nulla erit, si panis & uini substantia non adsit.

Ratio hæc ex quadam analogia est, nō contemnenda: quæ non minus seruatur, etiam si panis & uini substantia non adsit, remanentibus accidentibus: quàm si præsens sit. Ipsa enim accidentia, naturam panis & uini nobis referunt. Tantoq; magis ueram sacramenti significationem nobis exprimunt: quanto panis & uini substantiam, in corpus & sanguinem Christi transsubstantiari confitemur. Quia cùm id sacramentum Christus instituerit, ut nos in seipsum, per amoris uinculum transformaret: ut iam non nobis, sed ei uiueremus: quinimo ut ipse in nobis uiueret (sicut inquit Apostolus) Gal. 2. uiuo enim iam non ego, uiuit uerò in me Christus, certè hoc totum mysterium, per Analogiam non manifestius intelli-

intelligitur: quàm cum panis & uini substantiam, in corpus & sanguinem Christi, credimus transmutari. Vt per hoc significetur, nos in diuiniorem transire substantiam: quia non Christi corpus in nos mutatur, sed nos per cibum suæ carnis transformamur in illum. Quare tota ratio sacramenti, copiosius per transubstantiationem panis & uini, in corpus Christi demonstratur, quã si nulla fieret mutatio substantiæ.

Tertia ratione nititur probare inutilem esse corpoream Christi præsentiam, sed solam spiritualem Christi manducationem, (quæ per fidem est) utilem esse quia Christus dixit, spiritus est, qui uiuificat, caro non prodest quicquàm. Et totum fermè exponit caput sextum Iohannis, & dicit de sola spirituali Christi manducatione, esse intelligendum: & tamen statim dicit, sacramentalem esum, utilem esse ad fidem confirmandam, ex institutione Christi. 3.rõ. adami. Ioh.6.

Quanquàm uero Athanasius: Chrysostomus: Hylarius: Cyrillus: Basilius, & fermè omnes antiqui, exponant caput sextum Iohannis, de carnali carnis Christi manducatione: quæ (ut prosit) spiritui coniuncta sit oportet: hic tamen, non patitur, caput illud sic interpretari: propter illud dictum Christi: spiritus est, qui uiuificat, caro non prodest quicquàm. rñsio. mat. 26.

Sed esto, quòd caput istud Iohannis, de spirituali esu carnis Christi, sit exponendum: quid dicent, de locis Matthei, Lucæ & Marci, in quibus, institutio sacramenti lu.22. mar. 14.

per Christum enarratur? Paulus etiam, eam se accepisse a domino testatur, quam corinthijs tradidit. In
1.cor. 11. iis locis, quo se contegat, simia non inueniet. Deinde, si caro non prodest quicquam: quomodo proderit panis & uinum, quæ in sacramento dicuntur exhiberi, sola: sine Christi corporali præsentia? Si de carne sua, loquebatur Christus (sicut Adamus dicit) & ea tamen nihil prodest, sed solus spiritus est, qui uiuificat: an proderit panis? An uinum? Cur ergo instituta sunt in sacramenta? Cur communionem facimus eorum participatione? Cur baptizamur, si solus spiritus est qui uiuificat? An, caro Christi non prodest: & aqua prodest?

rñsio. adami. Sed dicit Adamus: quòd sacramentum, propterea a Christo est institutum, (licet esus & potus illius non sit spiritualis, sed corporalis) quòd nihilominus deseruit, atque prodest, esui & potui spirituali: qui est per fidem: quoniam sacramentum confirmat nos in fide: & ad id institutum est.

oppõ. Cur ergo Christi caro, (quæ reuera in sacramento suscipitur) fidem non confirmabit, si panis & uinum hanc confirmant? Quinimò, quanto magis certi erimus remissionis peccatorum, pignus habentes carnis Christi in mysterio, quàm si panem manducauerimus, uel uinum biberimus? An ita erit inutilis caro Christi, ut ea potior sit, quælibet res alia, tametsi uilissima?

At inquies, panis & uinum sacramenta sunt, quæ uisibiliter uidentur: ea autem sacramenta, quæ uisibilia sunt, ad amicea sola fidem nostram confirmant. Corpus uero Christi, & sanguis, si lateant etiam in minima qualibet panis & uini particula: imo in re quæ per se esse non potest, (in accidentibus scilicet sicuti dicitis) cum sint inuisibilia, haud quaquàm ad confirmandam fidem, utilia esse poterunt.

Quòd dicis, uisiblia sacramenta fidem nostram confirmare, a catholicorum doctrina non discedis. Sed quod exclusionis notam adijcis, non admittimus. Quia iustitia dei reuelatur in euangelio, ex fide in fidem. Al oqui mysterium incarnationis ex uirgine, & mysterium fidei trinitatis, & æternæ generationis, & pleraque alia mysteria sacra, prorsus essent inutilia, & ludicra: nisi ad fidei firmitatem deseruirent. oppõ. Ro. 1.

Quapropter, unum te ex duobus oportet eligere, aut quod solus spiritus ita uiuificat; ut nullum externum requiratur opus: & pereunt omnia sacramenta, & reliqua mysteria: uel quòd, ea quæ cum spiritu coniungi possunt, deo grata sunt, & utilia: quæ tamen sine eò, nihil prodesse possunt, siue sacramenta illa, sint uisibilia, siue inuisibilia mysteria. Quorum tamen omnium, primas partes tenet, sacrosanctum Christi mysterium: quòd à domino celebrari in ecclesia, est institutum. De hac uerò re supra diximus: neque plura sunt repetenda.

4. rō. *Quarta ratio, speciatim est, contra catholicos: qui*
adami. *panis & uini transubstantiationem, in corpus & sanguinem Christi fieri affirmant. Hæc opinio (inquit) esse nequit, cum his effectibus, quos manifeste fieri uidemus. Cùm quòd sacramentum nutrit, tum quòd corrumpi potest: & uermes generare, ueluti reliquus panis, & uinum solet efficere. At ij effectus, haud fieri possent: si sola manerent accidentia. Quæ profectò nutrire non possunt: quòd nutrimentum sit, mutatio substantiæ in substantiam, neque pariter, proprium accidentium est, generare substantiam: quod fieret in generatione uermium.*

rñsio. *Hæc ratio, cum mere naturalis sit, in rebus fidei nimium est infirma: & ex ijs quæ supra diximus, abundè soluta est. Nouit enim deus, solo uerbo cuncta seruare. Atq; uix fieri potest, ut homo intelligat, quomodo per cibum corpus augescat. Et nulla ratio euidens, de hac re fieri potest: quæ non facile soluatur: si uerbis Christi*
math. *adhæreamus: qui ait, omne quod in os intrat, in uentrem*
15. *uadit, & per secessum emittitur. Quid igitur, si quis dicat substantiam in seipsam augescere, impetu naturæ, usque ad prefixam quantitatem? Sed hæc paruifacio. Hoc unum dixerim, posse deum, ex accidentibus, nutrire, & generare substantias. Neque istuc est, diuinare sine scripturis, in negotio fidei: sed est fidem firmare: sine humanis rationibus. Ideò cum timore, & tremore, uerba diuina tractamus: quia ea, non iuxta falacem hu=*

mani iudicij rationem: sed iuxta fidei catholicæ regulam metimur: extra quam, si quis iudicauerit, periclitabitur: & ueluti piscis, in retia ignorantiæ deprehendetur: & quid agat bonum, nihil prorsus inueniet.

Quinta ratio, arguit, nulla solere fieri miracula, nisi ad confirmandam credentium fidem, & doctrinā euangelij: sicut scribitur marci ultimo. Huiusmodi uerò miracula, uisibilia sunt: sicut quæ fecit Christus, & eius Apostoli: in cœcis illuminandis, mundandis leprosis, reparandis mutis, restituendis claudis, sanandis infirmis, mortuis suscitandis, calcandis aquis, precipiendo uentis, aqua in uinum mutanda, expellendis demonijs satiandis millibus hominum, ex pauculis panibus. Hæc omnia miracula uisibilia erant, ideoq; euangelij doctrinam confirmarunt. Quòd, si secreta fuissent, nemo uidisset: atq; omnino fuissent inutilia ad id quod attinet, de confirmanda fide euangelij: ad quid igitur admirandum illud oportuit fieri miraculum?

5. rō. ad ami. mar. 16.

Adeo sigillatim uisus est, recensere omnia miracula, hic amicus, ut nihil pretermitteret, & precipua tamen Christi miracula reticuit. Quod enim maius est miraculum eo, quo uerbum caro factum est? An non est miraculum, quòd concipiat & pariat uirgo? Dic obsecro, quis uidet hæc fieri? Quis uidit Christum resurgentem ex mortuis? An audebis criminari, hæc nō esse miracula? Quinimo hæc, dici possunt miracula miraculorum: propter quæ alia miracula uisibilia facta sunt, ut dum

rñsio.

hæc prædicantur: inuisibilia illa facta esse credantur. Propter hoc ergo miraculũ sacri mysterij: in quo reipsa corpus Christi est, & sanguis (trãsubstantiatis pane & uino) & est, totus in toto: & totus in qualibet parte, etiã minima accidentiũ, quasi sit spiritus, quod diuinum corpus est, totus in cœlo, totus in terra, hic, & illic, & in omnibus aris, in quibus mysteriũ celebratur. Propter hoc (inquam miraculum, & propter reliqua, quæ diximus miracula inuisibilia: cætera per Apostolos facta sunt uisibilia, ut hoc & illa esse facta crederẽtur. Et sicut non inutiliter natus est, de spiritu sancto: nec inutiliter resurrexit: ita neq; inutiliter, & infructuose adsistit suo mysterio: cibo suæ carnis, & potu sui sanguinis, pascens nos: ut transformemur, & incorporemur in eũ.

6. rõ. *Sexta ratio fingitur super articulo fidei, ascen-*
adami. *dit ad cœlos sedet ad dexteram dei patris omnipotentis inde uenturus est, iudicare uiuos & mortuos: igitur, si Christus (inquit) realiter, & personaliter, esset in sacramento: quid oporteat de longinquo, (id est è cœlo) uenire, cum adeo propinquus sit in terra? Quid opus est aliud, quàm quod egrediatur, ex aliquo sacrato pane: seu hostia (quam uocant) & appareat gloriosus in maiestate?*

rñsio. *Huic rationi, non oportebat aliter respondere, quàm, quod supra responsum est ad alias. Sed hoc adijciam: pari irronia derisoria potuisse celsum & Iulianum criminari ecclesiam, cùm dicit filium dei descendisse de*

cœlis, & incarnatum ex uirgine, quando quidem si deus erat, & ubiqué erat, an non poterat carnem sumere, siue incarnari, quietius, sine tam alto descensu? Vt quid descendit si ubiqué est? Hæc maledicta, & has blasphemias: hic Adamus imitatur. Ideo illis respondemus & isti. Quia descendit Christus de cœlis, de uirgine carnem suscipiens: & in cœlo semper ad dexteram patris residens: equalis patri, & unum cum eo: & uenturus est, iudicare uiuos & mortuos, uisibili præsentia: ubi inuisibili, per sacramentum, semper est nobiscum. Nec ingreditur, uel egreditur, modo humano in sacramentum, uel de sacramento; sed sicut scriptum est generationem eius quis enarrabit, ita modum quo sacramento adsistat: quis ualeat enarrare? Adsistit tamen, qui se adsistere promisit: & de cœlo nõ recedit: & inde uenturus est, iudicare uiuos & mortuos: qui de sinu patris nunquam recedit.

In septima ratione triũphat Adamus, ligatũ firmé post se trahens Augustinum, nolentem, cogens ut sibi, in re desperata succurrat. Et sic suam format rationem: opinio quæ asserit, Christum corporaliter adesse in sacramento, derogat ueritati, ueri & naturalis Christi corporis: ergo est falsa. Illud omnino uerum est, nec ullatenus ambigendum: Christum habuisse, & nunc habere: uerum & naturale corpus. Ideo hac in re, non est disceptatio. Sed quòd opinio illa, auferat ueritatem ueri Christi corporis: arguit, quoniam duas habet natura 7.rõ. adami.

corporis proprietates, quarum prima est, ut sit quantũ, scilicet, longum latum: profundũ, & iuxta hæc maiorẽ, seu minorem occupat locum. Et hæc proprietas etiam glorificatis corporibus cõuenit. Christus quoq;, post resurrectionem, iuxta eius quantitatem, locum occupabat: nec in minori loco erat, quàm esset eius corporis magnitudo: quoniã si sic foret, ueritati corporis derrogaretur.

Altera proprietas corporis est, ut in uno tantum loco sit. He uerò duæ proprietates, adeo corpori naturaliter insunt: quòd nulla ratione, ab eo possunt separari: quia duæ sunt conditiones indiuiduantes, secundũ philosophos. Neq; nos hæc soli dicimus: quoniam ea quoq;, dicit Augustinus in epistola ad dardanum: in qua duo specialiter habentur, primum, Christum Iesum resuscitatũ, & glorificatum, inquantũ homo est, in uno tantum loco esse: idest in cœlo, inde uenturus est iudicare uiuos & mortuos. Alterum quod corpora necessario locum spacij occupãt, & nisi essent in loco, nihil essent. His stãtibus, quæ dicit Augustinus, optimè sequitur: Christum non esse, corporaliter in sacramento: quoniam, has nõ seruat duas proprietates: quæ a corporibus nequeũt separari.

Aug. epi. 57

Ꝛ̃sio. Huic rationi etiam responsum est, si (quæ supra diximus) lector aduertat. Sed, ut sigillatim, nos quoque soluamus ea, quæ tanta industria composita sunt argumenta: aliam debuit adamus annectere, proprietatem corporis: quæ non minus necessaria est; & quæ si non adsit, omnino corpus esse non potest. Ea uero est, quod

ſpacium illud,in quo corpus longum:latum & profun=dum eſt:ab altero corpore,ſimul,& adequatè,nõ poteſt occupari:ne fiat corporũ penetratio:quam nullus unquã philoſophorum,realiter rebus ſeparatis, admiſit. Nec Anaxagoras quidẽ,qui omnia cõfundebat.Sed ideo hãc naturalem corporis proprietatẽ,Adamus oblicuit;quòd uidit,ſue rationi obſiſtere. Quapropter,id reſpõdemus; quod ait,nos eſſe reſponſuros:uidelicet naturales haſce proprietates (quas dixinus) ſic corporibus eſſe anne=xas:ut nulla naturali potentia, ab eis poßint ſeparari. Attamen diuina operatione(quæ ſupernaturalis uirtus eſt,& cuius ad nutum omnia ſeruiunt) fieri poſſe: & in ſacramento factum eſſe.Si quis ambigat,diuinis ſcri=pturis non credit;& de diuina omnipotentia nõ cõfidit.

Ada. obiect. Poſt hæc uero,ſubijcit,proprietates eſſentiales nun quam mutari,per miraculum.Comperiant ait deum ali quando feciſſe, dent exemplum.Scimus (inquit) deum eſſe omnipotentem,& non eſt ei impoßibile(ſicut dixit maria ad angelum) quicquàm factibile: ſed hanc rem, luc.1. quis ſcit eſſe fatibilem?Nolo rem hanc modo diſputare (ait) ego inquiro huius rei,aliud exemplum: quod nõ ſunt facturi.Deinde ipſorum eſt,probare deum hæc fa=cere miracula. Nec ualet ratio,deus poteſt facere:ergo fecit.Poterat Chriſtus, mittere pluſquam duodecim le=giones angelorum,ut liberaretur de manibus iudeorũ: ſicut ipſe teſtificatur, in matheo, & tamen non miſit. mat.2. Et multa ſimilia adduci poſſunt.Oportet igitur probẽt.

deum hec fecisse miracula: per dicta Christi, aut scripturæ, id probare non possunt: nisi per uerba Christi: hoc est corpus meum ostenso pane, & hic est calix meus, ostenso uino, sed hæc futilis est probatio: quoniam ijs uerbis, Christus non intendit asserere, se esse in pane: uel uino, sed quòd utrunque signa sint, & in memoriam corporis & sanguinis sui.

r̃nsio. *Multos in hac sua ratione atq; miserandos committit* error. *errores, Adamus. Primo, quòd eas uocat proprietates* 1. *essentiales, quæ ad rei essentiã non pertinent. Quoniam ad diffinitionem corporis quod est substantia, neq; cor*error. *pus quãtitatiuũ, neq; locus, ullo modo pertinet. Deinde* 2. *quòd dicit eas proprietates (quæ sunt accidentia) nunquàm mutari, per miraculũ. Et tamen exempla similia, ad propositũ inueniuntur in scripturis. Quia manente rei substantia, corpus Christi, cũ alio corpore, adequate fuisse certũ est. Quia qui intrauit per ostia clausa, non erat phantasma, nõ erat spiritus: uerũ corpus erat: respicite (inquit) & uidete quia spiritus, carnẽ & ossa non habet: quæ me habere uidetis. Habebat carnes, habebat ossa, & clausa erãt ostia, quomodo clausis ostijs, intrauerunt ossa & caro? Locus nõ est, per quẽ intret: & tamẽ intus est, qui intrauit, & nõ apparet. Quomodo intrauit? Nonne per parietes, uel ostia clausa, oportet intrasse? Corpus longũ: latũ & profundum: tũc erat. Sed dic, ubi locus in parietibus, uel ostijs qui ei cõmensuraretur? Negabis hæc esse facta? Nega euangelium. Dices,*

aliũde transiisse Christũ in cœnaculũ? At cur dicit euangelium, ianuis clausis a stitisse: & tacuit qua uia transierit? An non rem admirandã enarrasse se credidit euãgelista? Num dices, uolasse per fenestrã? Alium quæris nodum herculeum: & dædali labijrinthum ingrederis. Dic obsecro, amice, nõne grauitas, corpori terrestri, ita propria est, sicut locus? Dices, alis uolasse per fenestram. Quis uidit alatum hominem?

Deinde sepulcrum saluatoris, in petra durißicia fuerat excisum, quæ nullam habebat molitiem: clauso sepulcro exijt, resurgens; lapis non potuit clausum tenere. An dices Angelos, prius apperuisse sepulchrum: quàm Christus resurrexerit? At peruertis historiam: quæ manifeste demonstrat: Angelum postea accessisse: cum iam resurrexisset. Vbi igitur sunt corporeæ proprietates, quas locis separari non posse? Sed ais, in pluribus locis esse non potest. Et nos dicimus ubi esse uult ibi est, audi Chrysostomum: dicit ad mulieres Angelus: Iesum quæritis, nõ est hic, ubi est? In cœlo? Vltra cœlos est. In terra? Vltra terrã est. Vbicunq; uoluerit, est. Vbicunq; est, totus est. Vbicunq; est, & ubicunq; fueris, tu ipse, qui illum quæris, in ipso es quem quæris. Itaque ne commemores, eas naturales proprietates: da potentiæ dei, ut qui de uirgine natus est, qui clauso sepulchro exiuit, qui ianuis clausis intrauit, nonne poterit in minori loco, maius corpus locare, atq; in pluribus locis esse, cui locata in suis locis, non resistunt

chrysost. hom. 16.

ut cũ eis non modo in transitu, sed in quiete, etiam ade-
error. *quatè, ualeant permanere.* Hinc error tuus tertius, ap-
3. *paret, quòd dubitas, an hoc sit fatibile: quod certè factũ*
error. *esse monstrauimus. Sed error quartus, peior est, qui ue-*
4. *lis, similia produci exempla. Quid si simile non inuenia-*
tur? An propterea, obtines quod uelis? Num queris exẽ
Aug. *plum simile, de partu uirginis?* Sed audi Augustinum
ad uolusianum. Si ratio quæritur, non erit mirabile. Si
error. *exemplum poßitur, non erit singulare. Post hæc falle-*
5. *ris, qui dicis, nos probare nõ posse, per scripturas, quod*
error. *probauimus.* Non minus erras, *qui dicas, ad nos perti-*
6. *nere, ut probemus, qui tot seculis sumus, in quieta fidei*
professione, nisi uos improbe (paci inuidentes ecclesiæ)
error. *molestiam tẽtaretis inferre. Postremò, infœlicißime de-*
7. *liras: quòd conaris, uerba Christi tuo sensu peruertere.*
Sed portæ inferi non preualebunt, crede mihi: crede mi-
hi ex corde loquenti: Araneus hic totus tuus labor est:
& frustra laboras, quiesce, & ad te redi, alienus es à
mente, & lethargum pateris.

Nempe in rebus fidei, non argumentis humanæ sa-
pientiæ agendum est, sed traditionibus ecclesiæ, & sa-
cris litteris est agendum: cum recta interpretatione &
error. *uero sensu & mente spiritus sancti. At tu errorẽ dictis*
8. *erroribus Cathenans, dicis, hanc non esse intelligentiam*
spiritus sancti. Christum corporaliter adesse, & presu-
mis alium posse inuenire sensum, per tropos scripturæ:
quos nescierunt, tot orthodoxi, & catholici patres.

Neq; Augustinus, ad dardanum tecũ sentit, sed merè respondet ad id quod ille inquirit, sicut factum est: non secundum id quod fieri potest. Deindè, non agimus, an Christus sit ubiq; diffusus: ubicunquè eius diuinitas est: sed hoc fideliter contendimus persuadere, Christum esse, ubicunq; uult, ex quo, non statim sequitur: ergo ubiquè: quanquàm, si ubiq; esse uelit, fieri posse nõ negamus: ut etiam ueram ueri corporis formam non amitteret.

Quapropter, illud omnino ferre nõ possum: quod per Calumniam, criminaris catholicos, ineptius insanirè: quã Marcion, aut Manicheus, quoniam asserant, naturã corporis esse posse, sine accidentalibus illis proprietatibus: quasi naturam corporis auferat, qui separat accidẽtia. Nihil conuenit catholicis, cũ Marcione, & Manicheo. Sed hæc (quàm prætẽdis, doctrina (non solũ, Manicheo, & Marcioni, fauet: sed ad omnes hæreses, quæ fuerint, aut futuræ sint, est accõmoda. Quæ enim est, potior uia ad hæreses, (præsertim Marcionis & Manichei) quàm, ut (est) pro significat accipiatur? Et tandem, in hac tua ratione nimium philosophus es; & quæ facta sunt a Christo admiranda: non credis. Sed dicis imaginabilia non esse, & fieri non posse, & apertas negas scripturas, tibijpsi contradicens manifeste.

Ratio octaua, arguit ex ritu antiquæ ecclesiæ: quæ in consecratione panis & uini, cantabat, sursum corda, sicut in prefatiane nunc etiã obseruatur: per hoc ostendẽs Christũ esse in cœlis: & in cœlis esse querendũ; quia 8. rõ. adami.

Mat. 5. thesaurus noster est: & Paulus colossensibus ait. Si cõsur
Col. 3. rexistis cũ Christo, quæ sursum sunt, querite, non quæ su
per terrã & post hæc, ait si sic est querendus, Christus
in cœlo: quomodo querẽdus est in pane? Signũ est ergo
ecclesiã ueterẽ: solũ esse adorandũ Christũ in cœlis cre
didisse, alioqui, dixisset: estote attenti fideles, quoniã, sta
stim statim, Christus pani & uino aderit: post factã uer
borũ consecrationẽ. Dirrigite mentẽ, ad panẽ & uinũ,
quibus aderit Christus Nõ sic dixit: sed ait, sursũ corda:
dãs intelligi, Christũ esse in cœlo, & nõ in sacramento.
Pũsto. Quòd ex modo loquendi scripturæ, & antiquorũ ar
guit: nihil obest causæ nostræ, qui etiã dicimus, sursum
corda, quia nihil carnale, sperandũ est, nihil terrenũ. Mi
rum certè si credat Adamus: Christum, in aliqua parte
cœli esse: ad quẽ cor nostrũ dirrigere debeamus. Quan
doquidẽ si ad dexterã patris sedet, ubicunq; pater est,
adorari potest. Tũc ergo uerè in cœlis adoratur: quãdo
adoratur in spiritu. Is uerò adorat in spiritu, qui, rectá
fide, deũ colit recta aũt fides est: ubi nos totos regendos
à spiritu, cõmittimus, & Christo cõsecramus, ubiq; &
in cœlo, et in terra, ei debitũ deferentes honorẽ nullum
locũ deo fingentes, extra quẽ nõ sit: nec sic quoq; Chri
stũ adsistere sacramento existimãtes, ut ad dexterã pa
tris, nõ sedeat. Sursum igitur, mens habenda est; ne ulla
humana ratio, rectæ fidei intelligentiã surripiat. Sursum
mens habẽda, in tam grandi mysterio: in quo multitudo
adstat Angelorũ. Non prohibetur alta mysterij cõside-

ratio, sed fallax philosophicarũ rationũ deceptio. Si uetus ecclesia, nihil, præter panẽ & uinũ, intellexisset adesse: nequaquã tociens Chrysostomus (qui ex antiquioribus est) dixisset, hoc mysterium esse admirandũ, tremendum, horrendũ. Tale ergo quid diuinum in sacramento credebat: & tamen sursum cor habendũ ad dñm inuitabat. Quotiens etiã Augustinus, cùm de hoc sacro mysterio loquitur, dicit solos fideles agnoscere: quid sit, & quid comedant super psalmo uigesimo primo: sacrificium pacis, sacrificium charitatis, sacrificium corporis sui, norunt (inquit) fideles. Et in psalmo trigesimo tertio, sermone secundo, quia cùm commendaret (inquit) ipsum corpus suum, & sanguinem suum, accepit in manus suas, quod norunt fideles. Et in psalmo quadragesimo octauo, tractatu primo: edent pauperes & saturabuntur: quid edunt? Quod sciunt fideles. Alibi sæpius eadem repetit Augustinus, & Chrysostomus: qui solũ, inter reliqua sacramenta, quæ connumerãtur in ecclesia: uocant hoc, & dicunt esse mysterium: quod est arcanum seclusum, quod solis initatis & sacerdotibus, scire phas sit. Ab hoc arcendi sunt, oẽs prophani. Vnde apud gẽtiles, excæcatus dicitur poeta (nescio quis) quòd quædam quæ habebantur, apud eos mysteria, passim enunciasset. Hoc ergo, diuinum mysteriũ est, & qui illud colunt, reuerentur, & tremũt, non minus eorũ mens, quã sursum, & in cœlo est. Qui deo gratias agunt, pro cœlesti & diuino dono: quod nobis deus præstitit in terris. Aug.

Rō.9. Nona ratio, longo ambitu transubstantiationem im-
adami. pugnat. Quoniam (inquit Adamus) si panis mutatur in
corpus, & uinum in sanguinem: quoniam Christus di-
xit, hoc est corpus meum (demonstrato pane) & hic est
sanguis meus (demonstrato uino) & alioqui non essent
uera uerba Christi, nisi ea fieret mutatio, uel saltem, ipse
Christus corporaliter adesset: sequitur (ait) quod Agnus
ille paschalis, quē Christus cum suis discipulis edit, fuit
cōmutatus in pascha, quia Christus dixit, quòd agnus est
lu.22. pascha: sicut scribitur in Luca. Desiderio desideraui hoc
pascha manducare uobiscum antequā patiar. Et paulo
post ait: Christus qui mentiri non potest, utrunq; dixit,
utrunq; ergo, oportet esse uerū. Ergo pariter oportuit,
agnum mutari in pascha: quando illa uerba protulit.
rñsio. Longe aberrat a scopo, uere intelligentiæ uerborū
Christi Adamus, & non perspicit, elocutionis Christi
differentiam, in utroq; sermone quem comparat. Et pri
mo uersatur in errore: quòd putat Christum loqui, de
agno illo typico: de quo non intendit Christus: sed loqui-
tur de seipso, qui uerus nō typicus agnus erat: comeden-
dus, tradendus, & immolandus. Quod expreßè cogno-
math. scitur, ex uerbis euangelistarum. Matheus, sic scribit.
25. Dixit Iesus, scitis quia post biduum pascha fiet, & fi-
lius hominis tradetur ut crucifigatur? Dic Adame, nō-
ne demonstrat se esse illum agnum immolandum? Atq;
lu.22. uerba lucæ quæ pro te adduxisti, nonne omnia empha
tica sunt; exprimētia aliud esse pascha, quàm quod fieri
soleret

soleret in preterito? Hoc erat pascha:ille agnus immolandus,qui tollit peccata mundi.Ex marcho,non ita ma- marc.
nifeste,potest intelligi:sed in Iohanne,luce clarius appa 14.
ret,cùm ait. Ante diem festum paschæ,sciens Iesus,quia Ioh.13
uenit hora eius : ut transeat ex hoc mundo ad patrem: profecto ; hæc uerba demonstrant , Christum esse illum agnum,qui,per typicum legis agnum , significabatur. Quare hic locus,quem assuupsisti,contra te pugnat.

Deindè,multum interest,inter utraq; uerba , si sensum,& sonum uerborum attendas:quia,non dixit Christus expresse,hic agnus est pascha:sicut dixit hoc est corpus meū.Quid?Etiam si dixisset:hic agnus est pascha, sicut quidam(licet ineptè)uolunt esse dictum,agnus est Exo.
phase:licet (inquam) sic dixisset:non tamen assequeris: 12.
quod intendis?quia maior differentia,habetur, ex uerbis sequentibus.Nempè nō dixit Christus:hic agnus est pascha,qui transijt domos egiptiorum.Sed cùm de corpore suo loquitur , sic ait. Hoc est corpus meum, quod pro uobis tradetur.Quid agendum pluribus ? Etiam si illa omnia addidisset,quæ diximus,ab uno ad alterū frustra argutaris, quoniam uim transmutationis , & suæ realis præsentiæ,contulit Christus uerbis suis,cū dixit: hoc est corpus meum: & non illis,cùm ait: desiderio desideraui hoc pascha manducare uobiscum.

Sed inquis,hoc dictum uolantariū est,& prӕter ra- oppō.
tionē,quia utrunq; est sacramentū institutū, in memomoriam. Agnus quidē,in memoriā transitus angeli,qui

fuit in egipto: panis autem: & uinum, in memoriã corporis & sanguinis Christi dati, in nostrã redemptionẽ.

rñsio. *Cum te fermè uideas ad metã redargutionis redactũ, aperteq; intelligas, locutionis differentias, uocas esse uoluntariũ, & præter rationẽ quod tãta necessitate cõcluditur: et persistis in eo, quod supra impugnauimus. Quia tametsi, utrunq; sit sacramentũ; nõ tamen sequitur, illud in utroq; fieri, quod fit in altero: nisi in his quæ ad rationẽ sacramenti pertinent sicut sæpius iam dixi. Mutatio uerò substantiæ, soli huic mysterio eucharistiæ cõgruit, ex institutione Christi: qui uerbis illis præstitit uirtutẽ.*

oppõ. *Perstat, & dicit. Oportet ostendant Christum uim uerbis illis dedisse: quibus prolatis, mutatio fiat substantiæ aut corporaliter sit præsens. Hic sermo uolũtarius est, nunquàm ostendent, esse uerum, nec per scripturas sacras, (sicut fieri oporteret (dùm hanc rem asserunt: minus per potentem rationem.*

rñsio. *Quid si ostendimus, & cœcus es, & uidere nõ potes? Aut quod magis opinor) cum apertis oculis uideas te non uidere dissimulas? Non uides quæ tot, tantiquè uiri u derunt? Legito ea quæ uiri doctissimi scripserũt; quos supra retulimus: qui dicunt, hanc mensam uerbis domini consecrari: non per Angelum: non archangelũ, sed per eum, qui dixit, & factũ est. Non puto, tot uiros conspirasse, ad decipiendum, Christi sanguine redẽptos. Nec fuit eorũ sermo uoluntarius, sed necessarius, ex sermone Christi, & catholico consensu, eorũ ad quos, quasi*

per manus, hæc doctrina ab Apostolis peruenit. Ratiões uerò naturales quæ uim habeant demõstrationis: reijcimus, quòd sciamus philosophiæ Christi esse contrarias.

Iterum obijcit, esto (inquit) quòd uim, quam diximus, uerbis suis præstitisset Christus, eã tamen nõ præstitit, nisi tunc, quãdo sacramentũ instituit. Et nõ alijs uerbis, & hoc fatentur (ait) ij qui huius opinionis sunt, sed uerba quæ tunc Christus dixit, iam nõ sunt uera: quoniã de futuro loquebantur, nõ de præterito: idest hoc est corpus meũ, quod pro uobis tradetur. Et hic est sanguis meus, qui pro uobis effundetur. Hæc ergo uerba, tũc uera fuerũt: nunc falsa sunt, quia sicut Christus, iam nõ moritur, aut patitur, ita nec corpus suũ tradet: aut effundet sanguinẽ. Si ergo, illa uerba hãc haberẽt uirtutẽ, ad producẽdos illos effectus: scilicet transubstãtiandi, aut præsentandi, reale Christi corpus, uerba falsa id efficerẽt: atq; uim haberẽt, faciendi Christũ passibilem & mortalem. oppõ. Ro.6.

Nos, quæ recepimus ab apostolis, in pane & uino cõsecrãdis: sequimur, & cõtẽtiões superbas horrescimus. Paulus hanc doctrinã tradidit corinthijs, quam se accepisse profitetur, à dño. Et hunc usum cõsecrãdi, procul dubio ipse docuit, nequè ausus est ipse mutare tẽpora: sed sicut accepit, & sicut Christus instituerat: ipse seruauit. Et sicut uerba illa, tunc uera fuerunt: ita & nũc uera sunt. Nequè disputamus, quo sensu tunc uera fuerint: & an nunc materialiter, aut, personaliter sint, intelligẽda, sed simpliciter dicimus ad omnia tẽpora accõmoda esse, rñsio.

ut idem sequatur effectus· quia sic Christus fieri uoluit. Alioqui frustra paulus, in iisdem uerbis, non mutatis, pro discrimine temporis, instituisset corinthios. Et diuina quoq; prouidentia factum est, ut uerbum futurum, in institutione mysterij adponeretur, ut appareat: nõ modo sacrificium esse illud cruentum, quod per Christum factum est. Iuxta quod iam non moritur uel patitur, sed & illud quod in ecclesia quotidie offertur, & per sacrificium incruentum traditur. Non ergo illa uerba putes falsa, quæ ex institutione Christi, sunt operatoria tanti mysterij: sed uera, cùm quòd efficiunt, illud quod egit Christus, tum quòd sacrificium incruentum confirmant in ecclesia.

oppõ. adami. Prosequitur Adamus, ad confirmandum, quod non fundauit, putans catholicos, ad plura cogi, quæ non cõueniunt. Veluti, quòd circuncisio sit, ipsum testamentum: pactum: & fœdus, item phantasma, quod sauli apparuit, sit ipse samuel. Christus quoquè, erit uitis, leo, agnus, petra, ostium, ouis, & multa reliqua, quæ de ipso pronuntiantur. Deniquè quid dicturi sunt (inquit) de uerbis Christi, in institutione eiusdem sacramenti; qui non modò dixit: hoc est corpus meum: hic est sanguis meus: sed accipiens calicem (ut affirmant Lucas & Paulus) dixit: hic est calix noui testamenti in meo sanguine? Hæc uerba non minus uera sunt, quàm illa. Oportet ergo concedere, calicem fuisse mutatum, in nouum testamentum, uel nouũ testamẽtum fuisse, in ipso calice: quod

Geñ. 17. 1. reg. 28.

omnino falsum est. Hæc igitur inconuenientia sunt, ut apparet, quapropter horum falsa est opinio.

Frustra nititur, & in cassum contendit Adamus: labascentes suas tabidas rationes arundineo calamo, fulcire laborans; Quòd putat orthodoxos cogi ubiq; & in omnibus, genuinam uerbi substantiui seruare naturam: quod supra falsum esse monstrauimus. Nempe in locutionibus, quas memorauit: alia ratio subest: ut non illa sint, quæ dicuntur per naturæ proprietatem quorum essentia, manifestè diuisa est. Et licet, in scripturis talia esse dicantur, non omnia tamen uerba, quæ in sacris biblijs sunt: uim habent mutandi naturas. Sed diuini uerbi, uerba in sacro mysterio naturas immutãt: quæ (nisi creasset) nihil essent. Cùm itaq; ipse de se dicat, hoc est corpus meũ, & hic est sanguis meus, non potest, nõ esse uerum, quod de se dixit. Nam plura de eo alij dixerunt, quæ reuera sic intelligi non possunt, ut ea sit. Iohannes agnum uocat, ecce agnus dei (inquit) sic alibi quoq;, leo, petra, lapis, & huiusmodi dicitur: quæ non secundũ substantiam intelligenda sunt. rñsio. Ioh.1.

Dices: ipse etiam de se dixit, ego sum uitis, ego sum ostium, si non est, ea omnia: quæ de eo alij dixerunt, quo modo saltem, non ea erit, quæ dixit ipse se esse si in eius uerbis uis est, transmutandi naturas? Quare si panis & uinum, in corpus & sanguinem commutantur: quia dixit, hoc est corpus meum, illud pariter uerum erit, quod uitis & ostium sit: aut quòd uitis & ostium oppõ. Ioh.15 Ioh.10

transubstantientur in ipsum.

rñsio. *Quantis ficulneis folijs, pudenda tegis Adame (etiam depræhensus? Non aprehendis uerborum differentias: ut rectum sensum elicias. Porrò nũquàm tanta expressione uerborum, dixit Christus se illa esse, aut uitem, aut ostiũ: quæ si uoluisset esse potuisset. Neq; dixit, ego sum hæc uitis, uel hoc ostium, uel sic etiam: ego sum uitis, quæ florescit in uineis: aut ostium ligneum. Sed in sacro mysterio talia uerba coniunxit: ut prorsus intelligi uellet, se id esse quod dixit. Singularis uerò loquẽdi modus, singularem quærit intellectũ. Quem certè aduerterunt Apostoli, & post eos catholici omnes: qui hũc nobis sensum tradiderunt; quorum nullus sacrosanctũ hoc mysterium imaginem dixit, aut signũ corporis, aut sanguinis eius: sed corpus & sanguinem: sicut ex concilio Niceno paulopost probabimus. Illos nos catholicos patres sequimur, et uestra interpretamẽta, reijcimus, quia quos uos sequamini non habebitis. Sed sibi, quod quisq; uult, illud fingitis, et pro deo colitis. Quæ uerò in luca de calice dicũtur, ad sensum qui in matheo est et marcho referri debẽt. Sic enim dicunt, hic est sanguis meus, quòd si cõtendis; proteruè, & immoderatè agis, qui solus uis sapere.*

10.rõ. adami. *Vltima ratio hæc est, solis duobus modis manducari potest, corpus Christi, & sanguis hauriri: scilicet spiritualiter et sacramẽtaliter. Quæ sacramẽtalis manducatio, (sicut supra diximus inquit) deseruit atq; utilis est, spirituali mãducationi. Præter hos duos modos, aliũ nõ*

inuenio. Sed propter hos, non est necesse: realiter per os immittere: neq; corpus eius, neq; sanguinem: ergo nõ est necesse Christum esse in sacramento. Et hanc rationem per suas partes antecedentes probat, etiam per ea quæ in tertia sua ratione adduxit, de spirituali manducatione. De sacramentali uerò, putat sibi sufficere, dictum beati Apostoli, cum ait ad corinthios: omnes patres no- 1. cor.
stros, sicut nos esse baptizatos: & omnes eandem escam 10.
manducasse: & tandem infert. Ideo si populus ille Hebræus Christũ edit sacramẽtaliter, & bibit eius sanguinẽ, in agno: manna, & aqua, quæ erant sacramẽta Christi: sicut nobis panis & uinũ ut paulus dicit, & exponit Augustinus super Iohannem, dicens: illa sacramẽta Aug.
idipsum significare, quòd nostra, licet aliter. Et illi ni- tract.
hilominus, non manducauerunt corpus Christi, nec san- 45.
guinem biberunt realiter, per os: cur nos igitur non poterimus, edere corpus eius & sanguinem bibere sacramentaliter, sine reali eius corpore & sanguine? Denique concludens ait: quod cùm aliter edi, non possit corpus, nisi altero duorum modorum: quos dixit, & nõ sit necesse, corpus & sanguinem adesse realiter propter eos: non ergo utile est, aut necessarium (ait) asserere, realem præsentiam in sacramento. Et eos qui asserunt realem præsentiam, dicit ignorare: quid sit sacramentaliter Christum manducare & bibere: quod est aliud nihil, quàm signum recipere rei sacræ, non ipsam rem, per sacramentum signatam. Hæc Adamus.

rn̄sio. Qua mentis integritate, præsumis in his tuis captiosis deceptiunculis latitare, & per occultam falsitatem imposturam facere? Num te pudet argutari per sophismata & elenchos in re diuina, & falaces cōclusiunculas deducere? Veris rationibus agendum est, aut sanis scripturis: non deceptionibus & technis. Nempè in circuitu arguis, & eadem sepè repetis, & phiateria dilatas, & magnificas fimbrias, insuper & falaciter cōcludis non consequentia: pro consequentibus. Esto quòd solis duobus modis, Christus a nobis manducetur: quomodo consequitur, ergo Christus non est corporaliter in sacramento? Hoc restat probandum: hanc consequentiā nunquàm probare poteris: quæ a te probādā est: si quod quæris uelis obtinere. Sed fucum facis & relinquens necessaria, uagaris incertè, per ea quæ nihil conducunt ad causam. Quid si quis statim ab initio dixerit: nego consequentiam? An non hærebis, & saliuam gluties, uel caput scalpes digito? Nonne mox facies tua rubore tota perfunderetur? Qui enim sequitur, solis duobus modis manducatur, corpus Christi ergo non est realiter præsens? Cùm poßit, & utroq; modo manducari, &
oppō. esse præsens. Viden' tuas fallacias? Sed, ais, non est ne-
rn̄sio. cesse. Respondeo, sicut supra responsum est. Quamuis, ad rationem sacramenti, ut sacramentum est: non sit necesse, ut Christi corpus & sanguinis præsentia sint: tamen, ut huiusmodi sacramentum a Christo institutum est, quod non tantum est sacramentum, sed rem continet

sacramenti, necesse est: quòd qui sacramentum suscipit, corpus quoq; & sanguinem Christi suscipiat: alius quidem ad uitam, alius ad mortem: nisi in cæteris cibis diju dicet corpus domini.

Deindè, quòd probat per Apostolum, eandem escam patres nostros manducauisse, quàm nos, legito quæ diximus in primo libro, ex Chrysostomo & Augustino. Deniquæ quòd infert eos nescire, quid sit sacramentaliter manducare; qui dicunt Christum esse in hostia, & calice, nimis arroganter est dictũ, & sibi nimium sapit. Omnia igitur eius argumẽta, puerilia sunt, ex elenchis & falacijs Arostotelis desumpta ad decipiendum: sed per rectas dialeticæ regulas euidentißimè soluta sunt.

Nolim putes lector, Adamum, putasse suas rationes insolubiles: qui cum potuisset alias adducere, (frigidiores scilicet) ne tedio afficeret lectores cessauit, Sed esto (inquit) nos nihil probasse hanc negatiuã: quòd Christus nõ est in sacramento realiter & corporaliter: neq; ullam fieri substantiæ mutationem: (quod tamen se fecisse putat) esto (inquit) ut dixi, propterea tamen, qui oppositũ opinantur non obtinebũnt, quod intendunt. Quoniam nõ est nostrum probare negatiuam, sed ipsorum est, suam demõstrare affirmatiuã: Non enim sufficit dicere, sic esse, sed oportet probare. Nec sufficit, posse defendere, quoniam sæpius falsa sustentatur, ingenio: distinctionibus, falacijs, griphis, & cauillis. Quare uult affirmatiuam probari rationibus uel autoritatibus.

oppō. Rationibus non possunt: quomodo autoritate probabūt? Adducent antiquos doctores, determinationes pontificum, & conciliorū, nec non consensum cōmunem ecclesiæ, uerba Christi, & quod scribitur Iohannis sexto.

visio. adami. Ad hæc respondet, nunquàm fuisse opinionē doctorū: Christū esse realiter in sacramento, & doctores annumerat: Ireneū, Tertulianum, Cyprianum, origenem, Hylarium, Athanasiū, basilium. Iohannem Chrysostomum. Gregorium nazianzenum, Gregorium nissenum, Cyrillum, Ambrosiū, Hieronymum, Augustinum. Hos dicit, nunquam credidisse realem præsentiam Christi in sacramento: neque mutationem substantiæ.

contra adamū. Hac in re primū, impudentissime errat Adamus: qui si haberet, dicta patrum pro suo dogmate: non cessasset adducere. Et nos supra horum omniū (quos nominat locos, adnotauimus, in quibus detegitur, manifestum mendacium Adami. Illi enim omnes, adeo exacte nimium & distincte loquuntur ut ad alienum sensum accommodari non possint, & in hac re citabimus statim concilium Nicenum quod ante octingentos annos celebratū est. Nullus ergo ambigere debet, de cōsensu catholicorū: quoniam omnes (quasi uno ore) hanc ueritatem confessi sunt. Et quanquàm Adamus tergiuersetur, nec se uelit fateri, esse deuictum: in conscientia tamen agnoscit, omnes patres catholicos, hanc semper tenuisse sententiam. Et ut id apræhandas uerum esse, audi quid dicat.

Ada. Quanquàm (inquit) omnes antiqui doctores, huius

fuerint opinionis: & totus mundus id diceret, non debemus tamen credere, nisi testimonia adduxerint, diuinæ scripturæ, quia res hæc (ait) ad fidem pertinet: & fides in solo uerbo dei est: sicut Paulus *ait*, Romanis, *fides* ro.10.
ex auditu, auditus autem per uerbum dei; non dicit per uerba hominum. Et *licet, eas scripturas habuerimus, per* 2.pet.
homines, fuerunt tamen à spiritu sancto. Neque *patres,* 1.
uoluerunt sibi fidem exhiberi. Et Augustinus *solis eis* Aug.
scripturis honorem defert, que canonicæ nuncupātur. episto.
Q*uis crederet articulum* Trinitatis? Q*uis articulū incarnationis, nisi clarum esset in scripturis?* 19.

Q*uod autem dicit, de sacris doctoribus, idem dicit de cōcilijs, & determinationibus pontificum.* Et *citat* Au- Aug.
gustinum, libro secundo contra donatistas: qui dicit, ple- c.8.
naria etiā cōcilia posse, per sequentia emendari. Si *emendari possunt (ait) ergo & errare.* Nullis *ergo credendū est, sine uerbo dei.* Et *ea cōcilia quæ in uerbo dei celebrata sunt, merito sunt honoranda: ut* Nicenum, & Calcedonense, *contra arriū & eutichem: & reliqua antiqua.*

Nunc *iam obsecro* Adame, *animum intende: qui nullis* contra
doctoribus, nullis concilijs, nec toti mundo, credas: si- adamū
ne testimonijs diuinæ scripturæ. An *putas tantum to-* rūsso.
tius orbis consensum, esse sine uerbo dei, & operatione spiritus sancti? Q*uomodo nobis innotuit ueritas librorum* Moysi? Aut *cur scriptis prophetarum & aliorū, quæ in sacris biblijs habentur, credimus, nisi totius populi* Iudaici *consensu ad nos essent delata?* Cur *igitur*

hunc totius gregis Christi consensum, non credimus esse a spiritu sancto? Primum quidem, in causa quam agimus Christi uerba sunt manifesta, nos uerò de uerbis Christi, nō disceptamus: an ea dixerit, aut non: utriq; conuenimus. Vos sensui nostro, de uerbus Christi non adhærentis: sed aliter dicitis esse intelligenda. Quare de interpretandis uerbis, est quæstio. Si nostra consonans est sententia; omnium antiquorum doctrina & consuetudine roborata: cur cedere debeat, uestræ nouæ & priuatæ expositioni? Nos omnia dogmata, quæ seruantur, tanta antiquitate, in ecclesia: dicimus ab apostolis esse tradita: uel uerbo, per prædicationem, & sermonem, uel etiam scripturis: quæ postea perierunt. Neq; uerò, incredibile est omnino, multa fuisse deperdita, in tantis regum huius seculi perturbationibus. Quandoquidem manifestum est: multa periisse, ex propheticis monumentis, quod de historia paralipomenon facile probatur. Desides enim
4.reg iudei, multa perdiderunt, inquit Chrysostomus. Et in
c.22. quarto libro regum legimus, quoniam post multum temporis, uix deuteronomij uolumen sit repertum, defossum quodam in loco: ac penè deletum.

Quid miramur igitur, si dicamus aliqua apostolorū scripta (quæ primis patribus innotuerant) fuisse deperdita? Quod etiam de epistola quam laodicensibus scripsit Apostolus, patere potest, de qua ipse scribens ad colosenses, meminit: & nusquàm reperitur. Quare potuerūt, & alia plura perire, in nouo populo: qui in lege

nō tabulis lapideis sculpta, erat instruendus: sed in tabulis cordis carnalibus per uocem euangelij: & per apostolos, quibus dictum est, prædicate euangelium, non autem sic dictum, scribite. Non quòd scripta sint repudianda, sed quòd non minus, ecclesiæ catholicæ traditionibus, sit inherendum. Sicut in facto docet Augustinus, libro secundo de baptismate, cōtra donatistas, capite septimo. Vbi paucis totam causam disceptationis enarrat, & beatum Cyprianum a crimine schismatis, & hæreseos excusat, & liberat; & si uisus est aliquando cum donatistis de rebaptizandis hæreticis, tenuisse sententiam. Ideo Augustinus dicit, antiquam fuisse & saluberrimā consuetudinem: quam uniuersa seruabat ecclesia: ut in schismaticis & hæreticis corrigeretur quod malū erat, non iteraretur, quod datum erat bonum, & subdit. Aug.

Quam consuetudinem (credo) ex apostolica traditione uenisse, sicut multa non inueniuntur in litteris eorum, neq; in concilijs posteriorum, & tamen, quia custodiuntur per uniuersam ecclesiam; nisi ab ipsis tradita & commendata creduntur. Sic Augustinus. Qui sæpius in libris contra donatistas commemorat, illam antiquam consuetudinem de non rebaptizando, fuisse autoritate plenarij, & uniuesalis concilij corroboratam. Proptereaq; esse omnes schismaticos, & hæreticos, qui alteram sequerentur sententiam, seu consuetudinem: quæ per agrippinū, Cypriani prædecessorem cœperat: & quæ etiam sub Cypriano congregato concilio apud

Carthaginẽses robur obtinuerat. Habebat utraq; pars, non paucas scripturæ sacræ autoritates; sed tamen præualuit antiquior consuetudo: quæ per Agrippinum corrumpi cœperat: & in reliquis tamen mundi partibus, ea quæ antiquior erat seruabatur. Non potuit itaque pars totum corrumpere, & unitatem scindere ecclesiæ. Quæ profectò dirrupta esset: si (antiquata ueteri cõsuetudine) noua fuisset suscepta. Quoniam apud posteros, semper dubitationis origo permansisset: quomodo fieri potuit, ut qui uiciniores Apostolis fuerunt, improbam seruassent consuetudinem, quæ per posteriores reprobaretur. Iuste igitur, uniuersalis concilij decreto, illa preualuit consuetudo, quæ publicam totius ecclesiæ pacem & integritatem seruaret. Et quam ab Apostolis traditam recte crediderunt.

Hæc omnia si aduertas Adamæ, huic nostræ causę deseruiunt. Esto, sint aliqui sacræ scripturæ loci, qui tibi fauere uideantur: ut præsumas opinari, quod tanto consensu, seruauit ecclesia de ueritate corporis Christi, in eucharistia, & de transubstantiatione, uerum non esse: an putas ullo unquàm tempore tuam præponendam esse sententiam contra consensum totius orbis hactenus obseruatum? Quid? Si secus, etiam per uniuersale cõsilium, uellent, uniuersi episcopi statuere (quod tamen nunquam sperandum est) falsum esse dogma, quod est traditum de sacro mysterio: quis crederet? Nonne Christiana religio ridenda proponeretur? Et fieri posset, ut

aliquãto tempore, persuasa credulitas obtineret: sed nõ puto, diu posse subsistere. Quia generatio adueniens omnia ad fidem pristinam reuocaret Neque persuaderi posset, nouos homines, qui nouum dogma molirentur, magnis illis uiris præferendos.

Hac ratione concilium Cartaginense sub Cypriano, dißipatũ est. Quid de cõcilio Ariminensi, quod uniuersale quandoq; æstimatum est: (quanquàm legitimũ non fuit) nonne eò reprobatum est, quòd fidem niceni concilij subuerteret? Sed dicis, in concilio Niceno, patres innixos sacris litteris: iustè Arrium damnasse. At legito sermonem Arrianorũ cõtra quem scripsit Augustinus: & uidebis, quantas pro suo errore aduocẽt scripturas. Quis enim, sine scripturis sacris ullus hæreticorum sua dogmata finxit? Sed (uti dixi,) de scripturis non est quæstio: sed de sensibus scripturarum, quid ad nos, per ueras expositiones, ex traditionibus apostolorũ; & totius ecclesiæ, per illuminationem spiritus sancti, peruenerunt. Tu dicis, quis crederet articulum Trinitatis, & articulum incarnationis: nisi esset ex scripturis claris? Et ego dico tibi, quis eos (quos dixisti articulos) & reliquos crederet, sine recta interpretatione? Quid tam clarum est in scripturis, quod non obtenebretur per obscura glosemata? Habet sabellius suas scripturas, habet Manicheus, habet nestorius, sed uerum sensum non habent. Quid putas agendum cùm uaria sit, diuinarum scripturarum expositio?

Quorum expositio præferenda est? Dices eorum, qui magis hærent scripturis sacris. Quid si & illas falso interpretãtur? An adeo manca, & infelix est ecclesia: ut cum oritur quæstio de scripturis: nullus sit qui conci

Deu. *liet, & lites dirimat?* Habebat populus Israel sacerdo-

17. *tes: qui huiusmodi quæstiones dirimerent, obscura & legis ambigua exponerẽt, neq; licebat, ab eorum iudicio, ad dexterã uel sinistram declinare: & non habet* Chri*sti ecclesia, qui unitatem doctrinæ conseruent?* Habet

eph.4 *certè. Sic enim dicit Apostolus. Ipse (scilicet Christus) dedit quosdam quidem, Apostolos, quosdam autem prophetas, alios uerò euãgelistas, alios autem pastores & doctores, ad consumationem sanctorum, in opus ministerij in ædificationem corporis Christi, donec occuramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filij dei, in uirum perfectum, in mensuram plenitudinis Christi: ut iam nõ simus paruuli fluctuantes, & circunferamur omni uento doctrinæ, in nequitia hominum in astutia ad circumuentionem erroris. Veritatem autem facientes, in charitate crescamus in illo, per omnia, qui est caput Christus. Et reliqua etiam quæ sequuntur, hanc nostram sententiam confirmant. Quòd data est, hæc potestas primatibus ecclesiæ (quorum caput & princeps est Romanus pontifex) iudicandi de scripturis, & quorũ sententiam sequi debent, omnes fideles: alioqui nunquam esset, pax in ecclesia, sed continua inquietudo: peruersitas, & incertitudo doctrinæ. Quibus, quid potest indignius*

dignius

dignius existimari, in ea religione, quam deus, per Christum, uoluit esse pacatissimam: in iustitia, & gaudio, & pace, per spiritum sanctum? Hic est, qui regit, & administrat ecclesiam: usque ad finẽ seculi: nec permittit falsa dogmata, diu regnare in suo regno, sed uult, ut ueritatem facientes in charitate crescamus in illo per omnia, qui est caput, Christus: ex quo totum corpus cõpactum & connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate.

Neq; tuum potes pretexere errorem: per id quod Augustinus dicit, priora concilia, posterioribus sæpe emendari. Quinimo te ijs uerbis atq; reliquos reprehendit: qui præsumas, ipsa te uelle emendare concilia. Neq; hic institui disputare, an, & quomodo uniuersalia possint errare concilia. Quid enim si concilia, cõcilijs emendantur? Quanquàm uix reperies, in his quæ ad rectam fidem pertinent, oecumenicum ullum errasse concilium, neq; puto Augustinum de ijs esse locutum; qui uult nos Aug. cura securæ uocis asserere quod in gubernatione domini c. 53. dei nostri & saluatoris Iesu Christi, uniuersalis eccle de bap siæ defensione roboratum est, sicut scribit in libro de li. 7. baptismate septimo contra donatistas. Et alibi dicit per lib. 6. diuinam reuelationem fieri determinationes in plena= c. 39. rijs concilijs. Et libro primo, contra Cresconiũ: proinde (inquit) quãuis certe huius rei, (loquitur de nõ rebapti=

zando) de scripturis canonicis, non proferatur exemplum: earundem tamen scripturarum, etiam in hac re, à nobis tenetur ueritas: cum hoc facimus, quod uniuersæ iam placuit ecclesiæ, quam ipsarum scripturarum commendat autoritas. Vt quoniam sancta scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit, huius obscuritate quæstionis, eandem ecclesiam de illa consulat: quam sine ulla ambiguitate sancta scriptura demonstrat. Hæc Aug. sed (ut iam dicere cœperam) quid si concilia priora, posterioribus emendantur? An licet propterea, schismata suscitare in ijs: quæ iam tot populorum consensu, & concilijs etiam generalibus, decreta sunt?

Quòd uerò putas, hanc positionem realis existentiæ Christi in sacramento: ortum habuisse circa annum domini, octuagesimum septuagesimum septimum, sub Iohanne octauo (quam statim impugnarit, prior Iohannes scotus, quem secutus est postea, Berengarius) longè aberras, quoniam ante ea tempora, & semper ab institutione eucharistiæ, tenuit ecclesia eam ueram fidem: quæ tamen in concilio Vercellensi, sub leone nono, & post in concilio Romæ sub Nicolao: conseruata est, contra scotum & Berengarium.

Legito acta concilij Niceni secundi, sub Cōstantino & Irene: in quo aderant tercentū quinquaginta episcopi, sub Adriano pontifice, in quo epiphanius orans, cōtra Yconoclastas idest imaginum demolitores, ad quędā respōdens, sic ait. Nemo enim unquàm sanctorū aposto-

lorum, qui tubæ sunt spiritus sancti, aut gloriosorum patrum nostrorum; incruentum nostrum sacrificium, in memoriam passionis Christi domini dei nostri, & totius dispẽsationis suæ factum, imaginem corporis illius, dixerit. Nam is, qui accepit à domino, sic non dicit, aut confitetur. Sed audiunt eum, sic dicentem. Nisi comederitis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non intrabitis in regnum cœlorum. Et cum hic epiphanius recitasset uerba Christi, ex Matheo, Marcho, & Luca; & uerba beati apostoli: quę nos sæpe retulimus. Legito (inquit) quoscunq; uoles, nunquàm inuenies, neq; dominũ, neq; apostolos, neq; patres, incruentum illud sacrificium, quod à sacerdote offertur, imaginem dixisse, uerum ipsum corpus & ipsum sanguinem. Attamen ante sanctificationis consecrationem, quibusdam patribus pie sane uisum est, antitypon (hoc est exemplar similis formę) nominare, quorum de numero eustatius, is propugnator orthodoxe fidei, & basilius: qui apertam probatorum dogmatũ uiam docentes, uno ore & spiritu loquuntur. Post consecrationem, corpus & sanguinem Christi uocant. Atque ita esse creduntur, hæc ille. Nulli ergo dubitare liceat hanc ueritatem semper fuisse catholicam, & adeo firmiter roboratam ut nullo impetu aduersariorum concuti posit.

Argumenta omnia, per Adamum ex uarijs locis desumpta, ab Augustino, omnia supra à nobis diluta sunt, libro primo præter illud: quod addit ex tertio de supra lib. 1. c. 36.

Aug. trinitate capite decimo, Vbi Augustinus, de significatio
nibus seu signis loquitur, quæ ad manifestandam uolun
Arg. tatem dei, siue per homines, seu per Angelos, ministran
adami. tur. Ibi quædam signa esse asserit, & miracula: quædã
uerò, signa quidam sunt, & non habent stuporem.
Deinde, loquens de signis, quæ peractis mysterijs trans
seunt, de pane eucharistiæ perhibet exemplum. Sicut
panis (inquit) ad hoc factus, in accipiendo sacramẽto
consumitur, sed quia hæc hominibus nota sunt, quia per
homines fiunt, honorem, tanquàm religiosa, possunt ha-
bere: stuporem, tanquàm mira, non possunt. Hoc dicta
Augustini abutitur Adamus, ut persuadeat: uirum or-
thodoxum non credidisse, Christum in sacramento cor-
poraliter adesse. Quia, si credidisset (inquit) haud qua-
quam dixisset, nullum adesse miraculum, in quo tot fieri
miracula prædicantur.

rñsio. Nunquàm cessat hic Amicus, uirum catholicum, &
de se benemeritum, turpi adurere infamia, quem ubiquè
lacerat, & troncatim eius dicta decerpit: & ad id quo-
què quod non cogitauit, sæpius cogit per calumniam.
Nempè, in hoc loco, quem citat, non omnino negat, hoc
sacrum mysterium Augustinus, esse admirandum, quia
non in uniuersum narrat omnia, quæ sunt in Christiana
religione admiranda. Sed agit tantum, de miraculis &
signis: quæ exterioribus sensibus comprahenduntur:
ueluti cùm uisibiliter rerum permutationes fiunt: sicut
exo.7 de signis magorũ pharaonis & moysi narrat scriptura.

Hæc signa admiranda sunt, & stuporem faciunt cùm, quod raro fiant: tùm, quod naturæ facultatem excedãt.

Tametsi hac ratione, non sit admirandum mysteriũ eucharistiæ, quia nulla fit sensibilis mutatio, non eò tamen negat Augustinus, corpus & sanguinem Christi adesse, mirabiliter, & imperscrutabiliter præsentia in sacramento. Quinimo, eo capite integre proposita resoluens, uir doctissimus: de eodem mysterio loquens, sic ait. Quis nouit hominum (sicut infantes non norunt) quod in altari ponitur, & peracta pietatis celebratione, consumitur: unde, uel quomodo conficiatur, unde in usum religionis assumatur? Et si nunquam discant, experimento, uel suo uel aliorum, & nunquàm illam rerum speciem uideant, nisi inter celebrationem sacramentorũ, cũ offertur, & datur, dicaturq́; illis, autoritate grauissima, cuius corpus & sanguis sit, nihil aliud credent, nisi omnino in illa specie, dominum oculis apparuisse mortalium: & de latere tali percusso, liquorem illum omnino fluxisse. Sic quæstionem terminat Augustinus.

Dic adame, num uides, quot admirãda fieri enarrat uir catholicus, in celebratione huius mysterij? Nisi omnino cœcus es, & mente delusus, profectò intelligis, tot esse mira in hoc sacramento: quot uerba sunt in dicto Augustini, qui nec minima narrat. Proin, cùm uideret, plurima sibi super esse, quæ eius modum excederent: quorum capax non est humanum ingenium: sibijpsi metam præscripsit, quam non preteriret. Ideo mox post

ea uerba subiecit. Mibi autem omnino utile est, ut meminerim uirium mearum, fratresque meos admoneam, ut & ipsi meminerint suarum, ne ultra, quàm tutum est, humana progrediatur infirmitas. Audis Adame, qui conaris, omnia dicta patrum, qui de corporea Christi præsentia in sacramento, loquuntur: resoluere, per regulam, quod sacramenta eorũ nominibus appellantur, quorum sunt sacramenta? Audis Augustinum (cuius illa est regula) in sacramento eucharistiæ, magni aliquid præsensisse, ad quod non se extendit humana infirmitas? Audis fraternam admonitionem, qua tam humiliter admonet fratres suos, ut & ipsi meminerint uirium suarum? An nõ tu es frater, Augustini uiri sanctißimi quẽ admoneat? Atq; utinã hoc saluberrimum consiliũ, quod audisti, quod uidisti, quod sæpe legisti, semper suscepisses. Hanc fraternam admonitionẽ, procaciter nimiũ neglexisti, neq; metitus es uires tuas, sed ultra quàm tutũ est progressus es, super te, extra te, uagus, & profugus, præter uiã rectam præceps laberis, ac in multiiugos errores, tuopte ingenio, intruderis & captiuaris.

Hoc unicum Augustini consilium sufficere debuit, ad reprimendos furores: nisi præsumas, te tãto esse uiro doctiorẽ, & in rebus sacris eruditiorẽ. Sed cur ab eo quæris fulcimẽta doctrinæ? Cur eo uteris clypeo? Cur hostiũ tuorũ telis obijcis, à suis confodiendũ? Quasi ad te defecerit? ô impudens facinus? Virum quo, nullus magis fuit catholicus in ecclesia, in castra inimicorum per uim

trahere & adulterinis uestibus indutum, suorum ictibus strentiũ opponere? Hanc scelestißimam rem agis Adame, qui (quod in te est) Augustinum infamas, & lacerandum exponis, quem tuæ insaniæ facis cõsortem. At in re hac nihil tibi conuenit cum illo, quinimo, ipse tuæ te arguit imprudentiæ, ut ab eo discas, non ultra progredi, quàm tua patiatur infirmitas. Cuius si consilium seruasses, prudentius de sacro mysterio scripsisses. Vix inuenies in scriptis Augustini, ubi sic admoneat fratres suos. At tu, (quod tibi facere uisum est) decerpsisti, & eam (quæ adnexa erat) admonitionem spreuisti. Hinc apparet, te aberrasse a scopo, quem intendit? & eius uiolasse sententiam.

Proinde in sermone tuo de sacramẽto, postquàm inaniter te iactas, posse antiquorum citare sententias: qui idipsum tecum sapiant, (quod nunquàm facturus es) negas librum de sacramentis, esse D. Ambrosij. Qui si non est eius: alterius est tamen, antiqui, pij, catholici: & eruditi. Illud porrò falsum est: quod sibi contraria dicat. Probes, oportet. Post hæc, accingeris, ad dissoluendas rationes, eorum, qui corporalem Christi præsentiã asserunt, in sacramento: quas dicis inualidas, & quarũ (tribus aut quattuor solutis) reliquas dicis facile solui poße. Et primũ quidem, uerba Christi à recto sensu peruertens, per regulam. b. Augustini putas posse resolui: quod paulo ante fieri non posse monstrauimus. Quanquã tu in hac regula per exẽpla plura uagaris.

Deindè, non minus ineptè tractas, uerba.b. Apostoli contra expressam eius sententiam, & omnium patrum expositionẽ. Tertio damnas omnia miracula, ueluti eorum qui (ut asseris) dicunt esse purgatorium, & in hac causa, non minus impius es, qui neges Christi miracula: quæ facta sunt ad comprobandam doctrinam catholicam. Potes hac ratione, omnia miracula & Christi, & Apostolorum, irridere. Nullum fero patrocinium impostoribus, qui falsa fingunt miracula, ex quibus non pauca capiant compendia. Sed nulla prorsus fieri miracula, euidenter pernegamus: quia eò maxime Christiana religio propagata est, per uniuersum orbem: sicut toties fatetur Apostolus, cùm de signis prodigijs & uirtutibus loquitur. Postremo; quòd improbas eas similitudines, quæ solent adduci, erras; fingens catholicos ijs uti, ad perfectam probationem ueritatis eucharistiæ, qui modo ad manuductionem eas sumunt, ut probent, non esse, difficile deo, hæc facere, quæ in eucharistia fiunt, & cum ijs etiam, diuinam omnipotentiam agnoscunt esse maiorem: cui nihil ualeat comparari. Post hæc iterum ad intermissa recurris, quòd eò Christus potissimum ascenderit in cœlum, & terram reliquit, ut cor nostrum leuaremus in cœlum, sed hæc etiam tua stulta ratio repetita diluta est, quia non minus cor nostrum in cœlo est (id est ad diuina) quum credimus nobiscum (etiam corporali præsentia inuisibili) esse in terris per suum mysterium.

Quæ uerò imaginaris de inuentoribus, & de causis prorsus phanthasmata sunt: quæ somnias, insimulans omnes fermé catholicos doctores, qui præteritis seculis fuerunt: nephandissimi sceleris & perfidiæ. Atq; omnis eos uiolatæ religionis autores fuisse, criminaris. Nos ue*rò tecum modestius agentes, sincera mentis integritate deprecamur dominum, ne te deserat omnino, sed ad ecclesiam ouem perditam redire faciat.* Nolo *(quæ supra dixi) ultra repetere, unũ hoc cogita adame, quòd omnis labor tuus quem aliquãdo (dũ in grege domini esses) ostendisti in tantis uigilijs & fatigationibus die ac nocte, non cessans à studijs, & reliquis pijs exercitationibus, hæc (inquàm) omnia perierunt nisi reuertaris ad cor, ad ecclesiam dico catholicam, à qua per tuam anotomiam defecisti: & peius operatus es, quàm* Zuinglius*: qui non tantas uomit blasphemias.* Quid *te putas lucrari, si multos malo tuo exẽplo à rectitudine deflectas?* Tibi *fortasse uidebor, durius aduersus tuos errores scripsisse, Sed nibil est periculi, ubi te incolumen esse cupio, ut spiritus saluus fiat.*

FINIS.

HIERONIMI NIGRI FOSSANENSIS, EREMITÆ Augustiniani, de admirando mysterio, liber tertius, qui est de sacrificio.

Quòd hæretici, uelut hydræ capita claua uerbi dei conficiendi sunt. Cap. I.

NOn cessant hæretici, animo impio, & sacrilego ore, omnem euangelij sinceritatem corrumpere. Cùm enim callidi sint & astuti, malefico quodam utuntur artificio: atqué intus inclusam malitiam sub Christiani nominis uelo, contegunt. His uerò machinis fraudulentis simplices captant, & sui criminis participes, reos faciunt. Proindè, si periculum est, contra apertos Christi inimicos adire certamen, quanto difficilius est, aduersus eos pugnare: qui se ijsdem armis muniunt, quibus fideles præliari solent? Nempè cùm te illos uicisse speraueris, uelut lubricus anguis effugiunt, atqué nouo interpretandi genere, sic torquent scripturas, ut ex errore uno alium serant. Non secus ac poetæ de hydra fabulantur: quæ præcissa capita gemina-

bat. Ita hæretici, si unius sceleris conuincantur, in duplo augent impietatem. Possent huiusce rei plurima exempla citari; sed ne longius exempla petamus, & lectorem fatigemus, quod dicimus, uerum esse deprehendimus, in ijs, quos nunc impugnamus. Quanquam enim ipsi inter se dißideant, & uarias habeant sententias, ut alij simplicem Christi sermonem sine tropo intelligant, ueram Christi corporis substantiam adesse cōfitentes; alij uerò Christi præsentiam corporis prorsus abijciant. Vtriq; tamen (licet plura sint capita) coniunctis caudis, & implexis corporibus (serpentum more) uelut promiscuo sexu, & fomento diaboli, prodigioso fœtu, hæresum genimina noua multiplicāt. Dixeris hos, uulpes esse, quas in segetes adligatis caudis emisit Sanson, apposito igne, & uniuersam regionem succenderunt: sic isti suo igne, (hæresis enim ignis est) omnes campos ecclesiæ comburunt. Itaq; (sicut diximus) geminos isti in caudis concipiunt, dein pariunt, fœtus, quos communi fouent & nutriunt alimento. Quorum primus est. Quòd negant hoc Christi mysterium (quod nos missam uocamus) esse sacrificium, alter quod nos impios idololatras dicūt, qui in hoc sacramento Christum colimus, & latrio honore adoramus. Hos gemellos spurios & sacrilegos fœtus, non humano gladio proscindere, sed claua uerbi dei (ad instar Herculis) contundere oportet, quam sponsæ suæ ecclesiæ Christus ipse commisit, ne inermis omnino esse uideretur.

Luth.

zuin.

iud. 15

Quid missa sit & à quibus aucta. Cap. 2.

PORRÒ quoniam nos hoc Christi mysterium missam uocamus, & dicimus esse sacrificium, imprimis, (ne in rerum uocibus, rerum ipsarum maneat perplexitas) operæprecium est, quid missa sit, & quid sit sacrificium apperire. Quidam uiri probi, ideò missam dictam putant, quòd antiquis post cuncta celebrata mysteria populis mißio diceretur, ut demũ omnibus abire phas esset. Inde à nobis quoq; seruari morem, ut (peractis sacris) per diaconum pronuncietur, ite missa est. Quod idem est ei quod antiqui dicebant, illicet, hoc est ire licet. Hinc ergo dicunt, totum sacrum quod fit in ecclesia esse nominatum missam.

poly. uirg.

Sed propius ad sensum ecclesiæ (meo quidem iudicio) accedit, quod Iohãnes reuclinus homo germanus ac litterarum hebraicarum cum primis sciens: libro de Rudimentis hebraicis docet, missam, hebraicum esse nomen, & in latino significare oblationem, sicut in deuteronomio legimus, oblationem spontaneam manus tuæ offeres, iuxta benedictionem dei tui. Vbi enim nos habemus oblationem spontaneam, in hebræo habetur, Mas, uel massas. Quod nomen (inquit) nos Christiani sacrificio nostro impositum, retinemus, ut à nobis appelletur missa, quod à græcis liturgia dicitur. Missa igitur neq; græcum, neq; latinum est, sed hebraicum.

deu. 16

Propterea Missam Christus ipse primus instituit,

quæ ab initio plus pietatis habuit, quàm cæremoniarum & apparatus. Constat autem Petrum, & alios apostolos, eo ritu rem diuinam peragisse, quem à Christo acceperat. Neq; tanto consensu mos celebrandi irrepsisset in ecclesiam, nisi continuata succeßione deriuasset, à Christo. Paulus enim ait; ego accepi à domino, quod & tradidi uobis. Hic prorsus apostolus loquitur de traditione institutionis mysterij. Auxit indè hæc mysteria Iacobus antistes Hierosolimitanus; auxit Basilius, ut est in decretis patrum. Alijque alia subindè addidere, ut Cœlestinus missæ introitum; Damasus confeßionem, quæ fit à sacerdote priusquàm altare conscendat. Quidam tamen pontiano aßignant. Gregorius antiphonam, quæ introitum sequitur, & ut nouies kirie diceretur. Thelesphorus hymnum, Gloria in excelsis deo. Gelasius orationes, epistolam & euangelium. Hieronymus, Alleluia, quod ex Hebræis translatitium est. Symboli decantatio fuit Marci pontificis decretum. Antiphonam quam tractũ uulgo appellant, & hymnos Gelasius fecit, atq; præfationes, quæ canonem præcedunt, & sunt nouem numero. Vrbanus decimam; ad honorem deiparæ uirginis addidit. Ture adolendum altare Leo tertius sanxit. Vsus lauandi manus ab hebræis & ethnicis sumptus est, apud quos nephas erat, illotis manibus sacra facere. Post præfationes, ut sanctus ter canteretur, cum additis notis, sixtus statuit. Canonis partem, instituit Gelasius. Aliam Syricius. Aliam, Alexander. Aliam leo. Post hos

Hugo de sac. de cõ. dist. 2.

Gregorius. Sic alij alia addiderunt. Pax domini & oscu lum pacis Innocentij primi inuẽtum est. Quod peractis sacris soleat populus benedici: manu dextera extensa in signum crucis acta; ex hebræis est, & ipso Christo, qui priusquàm eleuaretur in cœlum (ut Lucas tradidit) eleuatis manibus benedixit discipulis suis.

Quòd uerò corpus & sanguis post mystica uerba eleuatur & astanti populo, sub illis speciebus panis & uini ostenditur, quis instituerit hactenus non inueni, dicam autẽ ego quod est uerisimile (sine præiudicio aliud sentientis) opinor desumptum, ex eo quod fieri præ-
c. 23. *ceptum erat per sacerdotem in leuitico, ut ex oblatis primitijs spicarum meßis fasciculum eleuaret, coram domino, & similiter panes primitiarum oblatos eleuabat. Sed & hircum quoque, & agnos eleuabat. Quæ omnia exemplum fuerunt, nostræ oblationis uiuificæ; quæ facta est in cruce in qua eleuatus est Christus, qui*
eph. 5. *obtulit seipsum, hostiam pacificam deo. Ad cuius repræsentationem sacerdos quoq; noster eleuat mysteria. Sed*
obiect. *forte dices: Quis isthæc statuit adoranda? Nemo homi-*
rñsio. *num. Sed sola ipsius rei consequentia. Cùm credamus isthic esse uerũ Christi corpus & sanguinem, quæ diuinitati unita sunt, propterea adoramus, quia Christus uerus est deus. Sed de hac re latiùs dicemus. Cæterũ cœremoniarum quæ in missa fiunt, & orationum, & antiphonarum, non omnino idem mos seruatur ab omnibus. Sunt qui seruant ritum quem dicunt Ambrosianum,*

Sunt qui Gregorianum. Hæc non officiunt Christianæ pietati, etiam si in ijs additicijs receptis, non idem mos seruatur ubique, quia hæc rapsodia, non proprie missa dicitur. Nos missam proprie nominamus, id quod à solo Christo institutum est. De qua re, cum istis agimus, qui aliquando missam iuxta antiquum ecclesiæ morem per omnia summa reuerentia, seruarunt. Postmodum (paucis mutatis) in suo schismate celebrarunt, (quod ipsi fatentur, libris æditis.) Denique prorsus omnem & totam missam, (uelut rem impiam, & detestandam) abdicarunt. Sic solet demon illudere mentibus, & sensim detrudere in laqueum. Luth.

Hinc apparet, incertitudo doctrinæ hæreticorũ, qui circunferruntur à uento, & nihil firmũ docent. Symbolistæ oẽs statim ab initio suæ stoliditatis, missam abiecerũt, & hoc Christi mysteriũ, nõ missam, sed cœnam dñi appellant, ne si missam dixerint, (quod nomen oblationẽ significat) uel solo nomine conuincantur, coganturquẽ fateri, esse sacrificium, quod (ut abominandum facinus) execrantur. Hinc quoque summum putant sacrilegium missæ catholicæ adesse & eos qui intersunt, uocant idolatras. Nos missam uocamus hoc mysterium, in quo Christum adoramus, & hæreticorum deliramẽta damnamus. Hæc de missa, & eius institutione, quæ si uideatur ex frustulis compacta (quod solent ridere, hæretici) omnia tamen ueneranda sunt, & ad ecclesiæ ædificationem instituta. Nunc de sacrificio dicendum est. eph. 4. zuin.

Quid sit sacrificium, & de eius partibus. Cap. 3.

Aug. c. 4. SAcrificium quid sit, Augustinus ipse diffinit, libro de ciuitate dei decimo. Est enim (inquit) cultus so=
Exo. li deo debitus. Secundum quod scribitur in exodo, sacri=
c. 22. ficans dijs eradicabitur, nisi domino soli. Hunc cultum deo semper debemus, siue interius in corde, siue exterius in opere. Externa enim, & interna omnia habemus à deo. Quare in utrisqué debitum sibi requirit honorem.
Ro. 12. Cultus qui internus est, spiritualis dicitur. De quo beatus Apostolus; obsecro uos (inquit) fratres per misericordiam dei, ut exhibeatis corpora uestra, hostiã deo uiuentem, sanctam, deo placentem, rationale obsequium uestrum. Et beatus Petrus, ipsi (scilicet Christo) tanquàm lapides uiui super ædificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerentes spirituales hostias, acceptabiles deo, per Iesum Christum. Hunc igitur cultũ, & has spirituales hostias, has oblatiões, hæc sacrificia, cùm soli deo exhibemus, spirituale sacerdotium referimus, quo omnes qui Christò in baptismo consecrati sumus, dicimur, & sumus sacerdotes, (ut ait Petrus) consequenter ad dicta. Vos (inquit) genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, & altare huius interni sacrificij, est cor nostrum, quando eleuatur sursum ad deum. Tunc uerò deo cruentas uictimas cædimus, quando usqué ad sanguinem contra mundi huius potestates & hæreticos pro fidei ueritate certamus. Ei tunc suauissimum

mum adolemus incensum, cùm in eius conspectu pio sanctoq; animo & amore flagramus;si dona eius in nobis nosque ipsos uouemus,& reddimus. Ei *solemnitatibus festisque & statutis diebus dicamus:sacramusq; memoriam,ne uolumine temporum ingrata subrepat obliuio.* Ei *sacramus hostiam, humilitatis & laudis in ara cordis igne feruidæ charitatis.* Hic *interior cultus, & internũ sacrificiũ deo gratissimum est,& ad hoc genus sacrificij opera bona reduci possunt, quibus dei gloriam prædicamus:& proximo nostro pro eius honore seruimus;& ea quoq; quibus in castigatione corporis & castitate & contrito corde peccata nostra deploramus, quia sacrificium deo spiritus contribulatus.* *psal. 50.*

Porrò *nolim sibi plaudant hæretici,qui ob id putãt omnes christianos æquam habere, sacerdotij potestatem,quia omnes ab apostolis dicũtur sacerdotes.* Si *hæc ita se haberent,non minus iudei omnes fuissent sacerdotes,ad quos sic loquitur deus,in exodo.* Si *audieritis uocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis; & uos mihi eritis in regnum sacerdotale,& gens sancta.* Quis *itaq; dicat, per hæc dei promissa,fuisse* Iudeos *sacerdotes, qui non erant ex tribu* Leui,*& ex* Aaron? Minus *uerò dicendum est illos fieri sacerdotes,nos nasci,cùm quòd econtra sit ex* Augustino, *tum quod nemo sibi assumat honorem,nisi qui uocatur à deo,tanquàm* Aaron. Nempè *uocari oportet,non nasci ad speciale munus.*

Exo. 19.

in. q. no.& ue. q. 46.

Hæretici ecclesiæ hostes magno semper studio conati sunt uniuersos ecclesiasticos ordines, penitus auferre, quòd nihil æquè conseruat unionem eccesiæ, quàm diuinus ordo, quia si ex laycis fierent sacerdotes, & rursus ex sacerdotibus layci, primum quidem ordo uilesceret: deinde doctrinarum certitudo euanesceret, quarum iudicium ex euentu penderet. Oportuit ergo diuini muneris ordinem (in eo qui semel ordinatus esset) esse perpetuum. Vndè Paulus Titum & Timotheum non pro tempore, sed perpetuos (eorũ scilicet uita durante) pontifices ordinauit. Hæc gratia indelebilis est; de qua monet Timotheum Paulus; noli negligere (inquit) gratiam

1.tim. *quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cũ impositione manuum presbiterij. Et alibi admoneo te, ut*

2.tim. *resuscites gratiã dei, quæ est in te, per impositionẽ manuum mearũ. Rursus ad Titum scribens, dicit se potesta*

Tit.1. *tem dedisse ordinandi presbiteros. Huius rei gratia (inquit) reliqui te cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, & cõstituas presbiteros per ciuitates, sicut & ego disposui tibi. Ipse uerò Paulus sacerdotij dignitatem & potestatem à deo accepit, sicut ipse galatis scribens apertè testatur, se neq; ab hominibus, neq; per hominem, sed per Iesum Christum, deũ & patrẽ fuisse apostolũ constitutũ. Primũ igitur à deo patre ipse uocatus est & institutus apostolus & sacerdos. Deindè alios ipse ordinauit, qui & alios ordinandi haberent potestatem. Quomodo ergo omnes Christiani sunt sacerdotes? Quod enim ab*

altero fit, antequàm fiat, non illud est quod fit, si fiunt, non erant ergo quod facti sunt. Itaquè sacerdotium diuinitus confertur, & Christus duodecim elegit (sic ait) nonne ego duodecim uos elegi? Nequè leue est huius rei argumentum, quod tam exactè referunt euangelistæ. Quo pacto Christus ascenderit in montem: & conuocatis discipulis suis duodecim dedit eis potestatem spirituum immundorum, ut eijcerent eos, ipsorumquè apostolorũ nomina describunt. Rursus designauit quoq; & alios septuaginta duos, & misit eos binos ante faciẽ suam; & eis comminatur grauißimas pœnas, qui ipsos reijcerent. Et ne putarent apostoli suo merito ad hoc munus assumptos, subiecit; non uos estis qui loquimini, sed spiritus patris uestri qui loquitur in uobis. Et non multo post, omnem ministerij potestatem in se transfert. Qui uos recipit (inquit) me recipit; & qui uos spernit me spernit. Ioh.6. math. 10. mar.6 Lu.9. et.10.

Voluit deus functiones in ecclesia esse distinctas ut rectus ordo seruaretur. Et (sicut apostolus ait) quosdam quidem posuit, primùm apostolos; secundò prophetas; tertiò doctores; deindè uirtutes; ex inde gratias curationum; opitulationes; gubernationes; genera linguarum; interpretationes sermonum; & hæc sunt diuinæ prouidentiæ opera. Hæretici hunc diuinum ordinem contẽnunt, & (suo more) humanũ blaterant esse figmentũ. Hos uelut insanos abominatur Tertulianus, libro de præscriptionibus hæreticorũ. Ordinationes (inquit) ec= 1.cor. 12.

rum temeritatis, leues, inconstantes, nunc neophitos collocant. Nunc seculo obstrictos, nunc apostatas nostros, ut gloria eos obligent, quia ueritate non possunt. Nusquàm facilius proficitur, quàm in castris rebellium, ubi, ipsum esse illic, promereri est. Itaq; alius hodie episcopus, cras alius, hodie, diaconus, qui cras lector. Hodie presbiter, qui cras laycus. Nam & apud eos laycis sacerdotalia munera iniunguntur. Sic ille.

Profectò hæc omnia apud hos nouos hæreticos fiunt, quæ apud ueteres fiebant. Quin impudentiores planè sunt noui hæretici. Illi in susceptis ordinibus pro tempore ministrabant: Isti neglectis his, omnia Christi sacramenta presumptuosè ministrare non formidant. Et cū nullus sit in eis qui potestatem habeat ordinādi, qui fieri potest, ut non magis confusiones appellentur eorū ministeria quàm ordinationes? Perfugas enim, apostatas & excommunicatos omnes ad se cōfugientes recipiūt, & ad schismaticam suam cœnam admittunt. Nec multo post, statim in suam hæresim iuratos, noui sui euangelij ministros faciunt. Qui cùm sint omnium catholicorum osores, omni procacitatis, maledicentiæ & conuiciorum genere debachantur, in pontifices & sacerdotes, sacris mysterijs legitimè initiatos, & se uocant ueros euangelij præcones, qui propter Christi professionem, rapinam bonorum suorum passi sunt, uel alioqui corporis incommoda sustulerunt ab eis quos uocant papistas. Et illi in suis publicis concionibus, nihil non faciunt, ut

plebem stolidam inflamment ad odium omnis doctrinæ catholicæ. Interim tamen nihil ab eis audiunt, nisi meras nenias imposturas & somnia. Quid enim boni docere possunt, qui sine Christo sunt, in quo sunt omnia bona? Aut quomodo qui præter uiam (ueluti cœci ambulant) col. 2. alios dirigere possunt? Ordinationes ergo eorum, cùm nullæ sint, omnia præter ordinem faciunt, ut nihil sit inter eos rectum, qui à rectitudine defecerunt: nihil stabile; nihil integrum. Ideoque cùm nullus sit inter eos ordo, omnia confusa illis placent, & arcano dei iuditio eis quoque non modicum fauent; præsertim impijssima Christianorum principum bella, quæ ferè semper occasiones præstiterũt, superstitionibus, schismatis, & hæresibus suscitandis, aut fouendis. Quod in machumetica secta manifestum est, si quis legat eius temporis hystorias, quo cœpit Christi nomen exolescere.

Nam quemadmodum in plenitudine temporũ, quando misit deus unigenitum suum in carnem, summã pacem in uniuerso orbe fieri uoluit sub monarcha Augusto Cæsare; multoq; tempore durauit, donec per mundum uniuersum prædicaretur euangeliũ (quod est æternæ pacis annunciatio, & gratuita peccatorũ remißio) Ita postquàm hæretici spiritu diabolico perciti, sua cœperunt profundere pestifera dogmata, nulla est christianæ reipublicæ regio, nullum regnum nullus fermè orbis angulus, qui nõ publicis, ciuilibus & intestinis bellis cõmotus sit: ut sicut euangelium in pace regnat, ita

hæresis in bello conualescat. Quare nihil est quod magis timeant hæretici, quàm principum Christianorum concordiam, & totius reipublicæ christianæ pacem. Hoc enim principum munus est, tueri & cõseruare uerum dei cultũ, & sinceram doctrinam in populo, à deo suæ fidei credito. Sed cùm bellum omnia mala ad se trahat, (ueluti cæcias nubes) hoc tẽpore nihil minus agunt principes. At uerò miserrimã plebeculã, immodicis exactionibus & grauissima tyrãdine opprimũt, atq; innoxium sanguinẽ iam diu effundũt. Neq; illis est curæ, quòd noxijs, et mortiferis doctrinis, cõfusissimũ hoc seculũ repleatur. Tandem sperandũ est, nõ deserturũ esse Christum populũ suũ, neq; passurũ perpetuo has principũ insanias, sed spiritũ suũ sanctũ mittet in corda eorũ, ut firmata pace, impiam doctrinam auferant; collapsos mores reforment, atq; ecclesiasticos ordines restaurent.

Christus ergo ipse ecclesiasticos ordines instituit, neq; uoluit parem esse in omnibus dignitatem, sed sacerdotes cõsecrauit quibus solis diuinam tribuit potestatẽ prædi-
lu.22. *candi euangeliũ, remittendi & detinendi peccata, dandi spiritum sanctũ; claudendi & aperiendi regnum cœlorum, conficiendi corpus & sanguinem suum ac cætera sacramenta ministrandi. Quanquàm uerò ex euangelijs appareat hanc officiorum in ecclesia distinctionem à Christo esse, ut patrum suffragia non admodum uideantur necessaria, tamen consensum patrum adducam, ut confundantur hæretici qui ad alienum sensum uerba*

Christi retorquent.

Et primus quidem occurrit, grauis autor Gregorius Nazianzenus, qui in apologetico sic scribit: Sicut in corpore nostro, alia sunt membra, quæ regūt corpus, atq; omnibus motibus eius præsident, alia sunt, quæ reguntur, & obsequium rectoribus præbent, ita & in ecclesia statuit deus æquitatis eam legem dispensans, & per diuinam prouidentiam suam, quæ uniuersa componit, meritorum temperans priuilegia. Alios constituit regi & gubernari, quibus hoc utilius est, ut uerbo & opere rectorum, ad id quod expedit imbuantur, alios pastores dedit & doctores, ad perfectionem ecclesiæ. Sic Nazianzenus. Qui palàm affirmat ordines statuisse deum in ecclesia. greg. Nazi.

Chrysostomus, (ut supra diximus) asserit, potestatem consecrandi dedisse, non angelum, non archangelum, non aliam aliquam creaturam, non uirtutem, sed spiritus sanctus hoc munus instituit. chrys.

Adde Cyprianum in libro de unctione charismatis, sic dicentem. Non hæc medendis corporibus est unctio instituta, quia sanctificatis elementis, iam non propria natura præbet effectum, sed uirtus diuina potentius operatur. Sed adest ueritas signo, & spiritus sacramento, ut & ipsis rerum efficientijs gratiæ dignitas pateat, & interiori homini quanta ex ijs detur authoritas, deiformi conuersatione: & cælestibus moribus innotescat. Hoc oleo antiquitus sacerdotes sacrabantur. cypri.

& reges, & ipsi altarium lapides, delibuti, spiritualem intelligi uolebant, sacris mysterijs in esse pinguedinem; & sicut oleum fluidis & humidis quibuslibet superfertur, ita excellentia sacerdotalis & regiæ dignitatis secundum formam dei & Christi omnia continens, regimen & munimen tam actiuæ quàm cõtemplatiuæ uitæ obtinet, & ex hoc humore constat descendere omnes gratiarum diuisiones, quas spiritussanctus prout uult singulis distribuit & largitur. Hæc Cyprianus.

Qui in calice huius dicti demonstrat suam sententiã
1.cor. *ex loco apostoli desumptam: ubi ait, diuisiones gratia-*
12. *rum & ministrationum & operationum à deo esse, qui operatur omnia in omnibus. Ad ephesios autem scri-*
eph.4. *bens Apostolus dicit. Quod Christus, quosdam quidem dedit apostolos, quosdam autem prophetas, alios uero euangelistas, alios autem pastores & doctores. Hæc uerò omnia frustra docerentur, si omnes æquè eandem haberent potestatem.*

Augustinus uerò indelibilem hanc, sacri ordinis gratiam consecrationi quæ fit in baptismate confert, quæ non debet iterari. Scribens enim contra epistolam ad
lib.2. *parmenianum in hunc modum disserit. Vtrunquè enim*
c.13. *(scilicet baptismus & ordo) sacramentum est & quadam consecratione, utrunq; homini datur. Illud cũ baptizatur; istud cum ordinatur. Ideoq; in catholica ecclesia utrunquè non licet iterari. Nam & si quando ex ipsa parte ueniẽtes etiam præpositi pro bono pacis correcto*

ſchiſmatis errore, ſuſcepti ſunt. Et ſi uiſum eſt opus eſſe, ut eadem officia gererent, quæ gerebant, non ſunt rurſus ordinandi, ſed ſicut baptiſmus in eis, ita ordinatio manſit integra, quia in præciſione fuerat uitium, quod unitatis pace correctum eſt, non in ſacramentis, quæ ubicunque ſunt uera ſunt. Et cùm expedire hoc uideatur eccleſiæ, ut præpoſiti eorum, uenientes ad catholicam ſocietatem, honores ſuos ibi non adminiſtrent, non eis tamen ipſa ordinationis ſacramenta detrahuntur, ſed manent ſuper eos. Ideoquè non eis in populo manus imponitur, ne non homini, ſed ipſi ſacramento fiat iniuria, & uide plura in eo capite ubi & de charactere fit mentio, quem aduerſarij in opprobrium, characterem beſtiæ uocant. apo.13

Verum (ut redeam ad id quod de ſacerdotio ſpirituali diximus) improuidè ij errant & rudes admodum ſe eſſe oſtendunt in litteris ſacris, qui non intelligunt duplex eſſe ſacerdotium, duplexq; regnum; ſicut duplex eſt ſacrificium. Si quidem omnes chriſtiani, qui ſummi regis & ſacerdotis membra per baptiſmum effecti ſunt, ea ratione ſunt ſacerdotes, ſed ſpiritales, quos oportet exibere corpora ſua hoſtiam uiuentem, ut dictum eſt. Nec minus dicendum, quin omnes chriſtiani ad eandem rationem reges ſint, quòd quemadmodum Chriſtus conſtitutus eſt rex a deo, ad deuincendum mundũ, mortem, peccatum, diabolũ, & infernum, ita nos omnia per Chriſtũ uincamus. Sed de his ſatis. Nunc ad uiſibile &

externum sacrificium tractandum, deueniamus.

De uisibili & externo sacrificio. Quid sit, & cur institutum. Cap. 4.

math. 22. Sicuti præter spirituale regnum aliud oportet esse externum, cuius potestas à Christo & ab Apostolo cõfirmatur cùm ait Christus, reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & Paulus, omnis (inquit) anima potestatibus sublimioribus subdita sit, ita præter spirituale sacerdotiũ, quod in sola mente consistit, aliud oportet esse externũ & uisibile sacerdotiũ, quod legitima ordinatione signo quē uisibili conferatur, quodq; uisibile deo patri offerat
10. de ci. dei. c. 5. sacrificiũ. Est autem sacrificium uisibile Augustino, inuisibilis sacrificij sacramentum, idest sacrum signum. Nos uerò ut exactè magis, possimus intelligere, qualenam missa sit sacrificiũ, quod solis sacerdotibus (uisibli signo consecratis) permissum est, à prima ratione uocabuli auspicamur. Nempè grammaticorũ nullus ignorat sacrificium, à uerbo sacrificare deductum esse, quod est sacrum facere; sacrum uerò, significare quòd deo peculiariter dedicatum est; proindeq; sacrificium appellari, quod deo (uelut ei propriè debitũ) offerimus, reddimus,
Aug. c. 18. ac dedicamus. Et maxime sacrificiũ est (inquit Augustinus libro primo cõtra aduersariũ legis & prophetarũ) quod præcipuè debetur deo. Ad ueram igitur sacrificij rationem, id maxime inquirendũ est, quid illud sit, quod à nobis sibi fieri requirat deus. Postea quàm sub peccato

uenundati sumus, & in tantas incidimus miserias, ut eum propicium nobis faciamus.

In ueteri testamento plura fuerũt sacrificiorum genera quæ putabantur propiciari deum, ut puta holocaustomata, hostiæ pacificæ, oblationes pro peccatis. Erant animalia quædam, quæ ad sacrificia recipiebantur. Erant rursus alia quæ reijciebantur, de quibus in Exodo & Leuitico. Quinetiam gentes quoq; ad emulationem iudeorum, per demones deceptæ, dijs suis sacrificia faciebant. Falsus enim deus (inquit Augustinus) sic se uult honorari ab his, quos decipit, quomodo uerus deus honoratur ab eis, quibus consulit. Ideoque putarunt gentiles se deos suos placare, uel propicios sibi facere sanguine atq; occisione brutorum animantium, & eò insaniæ ceciderant, ut cruorem quoqué humanum litarent. Rodij hominem saturno immolabant. Scythæ circa tauricam Chersonesum hospites ad se uenientes dianæ suæ sacrabant suspendentes in portis eorum capita. Lesbij altare bachi uirorum sanguine irrigabãt. Apud Cyprios. Olim sacrificabatur homo nimphæ agraulidi. Plura gentes impia & stulta faciebant, quæ narrat Cyrillus contra iulianum. Pauca hic libuit annotare, ut discamus è quantis abominationibus liberauit nos Iesus Christus, postea quàm per euangelium illuxit nobis uera lux. Omnia enim gentium atrocia sacrificia abolita sunt, quæ deo nunquàm placuerũt, quòd fierent sine fide.

ubi su.

Cyril. lib. 4.

Sacrificia uerò populi non erant ingrata, sed placita deo, quòd fierent per fidem hisce enim sacrificijs testabantur indubitata se fide tenere, ut is immolaretur, qui
gen̄.4 omnino solus mundus esset à peccatis. Hinc, munda integra & sana, non languida offerebant animalia. Quod faciebat Abel, nimirũ edoctus ab Adam, cui statim post
gen̄.3. peccatum facta est reuelatiō de conterendo capite serpentis per eius semen. Sacrificium autem Chaim fuit
heb.11 immundum & sine fide. Oblatio Isaac (in quo Abraam
55. repromißionem acceperat) oblationis Christi in cruce Typus erat. Vndè eum Abraam in parabolam accepit,
heb.11 sicut inquit apostolus. Deniq; omnia sacrificia quæ à deo per Moysem fieri instituta sunt, licet uaria essent & multiplicia, umbra tamen fuerunt, unici sacrificij & unius hostiæ immolandæ per Iesum Christum in suo cor
Aug. pore. Sicut enim res una multis locutionibus, & multis linguis significari potest, sic unum uerum & singulare sacrificium, multis est antea sacrificiorum significatum figuris, ut per hæc memorarentur, quod aliter nulli hominum ab exordio mundi salus, (nisi per huius hostiæ fiduciam) contingere posset.

heb.1. Hæc itaq; hostia Christus est, splendor gloriæ, & figura substantiæ patris, portans omnia uerbo uirtutis suæ, purgationem peccatorum faciens. Qui cùm in ea natura qua æqualis est patri, pati non posset, in similitu
phil.2. dinem hominum factus est, & habitu inuentus ut homo, ut gratia dei pro omnibus gustaret mortem, & per

mortem destrueret eum, qui habet mortis imperiũ (idest diabolum) & liberaret eos, qui timore mortis, per totam uitam obnoxij erant seruituti. De hac *sacra hostia* Heb. 2
loquuntur omnes prophetæ, Esaias: Amos: Ioel; Dauid *quoqué in psalmis.* De qua re *beatus apostolus abundé memorat in epistola ad hebræos; ut innotescat, unicum Christi sacrificium esse deo gratum, & acceptũ.* Quapropter, *qui præter fidem huius unici sacrificij, deo offerebãt, uel putabant se effusione pecuini sanguinis placare deum, & accipere remißionem peccatorum, sequé esse iustos, horum (inquam) sacrificia reproba erant & ingrata deo, ac si nũquàm deus illa fieri præcepisset; sicut sæpius legimus in prophetis; præsertim* Esaia: Hieremia: & Amos, *in quibus omnia sacrificia* Esa. 1.
damnat, quæ sine fide fiebant, sed uana fiducia exter- hie. 6.
ni operis. Quoniam (*ut inquit* Apostolus.) Impoßi- Amos
bile est sanguine hircorum & uitulorum auferri pecca- 5.
ta. Vetera *sacrificia, præter quod, typis Christi sangui-* heb. 10
nem adumbrabant, sanctificabant tamen coinquinatos ad emundationem carnis, quia corporales legis immunditias in politia moysi auferebant, coinquinationes uerò mentis & peccata coram deo non purgabant. Hoc di*uinũ opus soli Christi sanguini erat reseruatũ.* De quo
Apostolus. *Si enim (inquit) sanguis hircorum & tau-* heb. 9.
rorum & cinis uitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationẽ, carnis. Quantomagis *sanguis Christi, qui per spiritum sanctum semetipsum obtulit immacu-*

latum deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ad ſeruiendum deo uiuenti? Hoc igitur ſacrificiū quod in ſuo corpore & ſanguine Chriſtus peregit, non ſimplex & uulgare dici debet, ſed eſt ſacrificiū ſa=
Danie. crificiorum, ſicut ipſe quoq; dicitur ſanctus ſanctorum,
9. qui omnes ſanctificat, & fundamentum fundamentorum, quia ſuper eo tota innititur ſtructura eccleſiæ, & ſine ipſo nihil permanet. Ideoq; eſt ſacrificium ſacrificiorum, quia in eo omnia reliqua complentur ſacrificia, & ſine eo non ſunt grata.

Ex ijs apparet quid ſit uiſibile ſacrificium, & cur inſtitutū. Sed ne uideamur, uel de nomine, uel eius diffinitione ab aduerſarijs diſſentire, uel in æquiuoco (ut dici ſolet) laborare, quomodo ipſi definiant ſacrificiū, atten=
ſacri. dite. Sacrificium (inquiūt) eſt oblatio noſtri operis, quod nos reddimus deo, quem cognouimus eſſe talem, cui meritò hunc cultum præſtemus, & hanc finitionē, dicunt in genere, cōuenire, ſacrificio euchariſtico, quod eſt gratiarum actionis; & ſacrificio propiciatorio. Et hoc præterea diuidunt in propiciatoriū moſaicum, & propiciatorium coram deo. Sed ne ſingula fruſtra nos repetamus, in quibus nulla eſt controuerſia, tandem ſacrificium propiciatoriū coram deo, dicūt eſſe opus ſatisfacto
heb. 9. rium pro peccatis aliorū, reconcilians deū, & placans
eſe. 53. iram dei. Hoc ſacrificium aſſerunt eſſe unicum Chriſti,
Ro. 9. qui ſemel ingreſſus in ſancta æternā redemptionem in=
ioh. 19 uenit. Hoc unico ſacrificio profligata ſunt peccata, de=

leta: & dãnata ac purgata est cõsciẽtia, & sanctificati sunt credentes. Sic isti dicunt. Et hactenus non dißident à catholicis doctrinis. Sed cùm dicunt, missam non esse opus satisfactoriũ pro peccatis aliorum, nec recõciliare deum: neq; placare iram dei, atq; hinc concludunt, non esse sacrificium propiciatorium, (nam de eucharistico non controuersatur) hic totius nostræ disputationis scopus & cardo est, à quibus aberrare hæreticos, per ea quæ dicturi sumus erit manifestum.

Quod non est aliud sacrificium quod fit per sacerdotem in missa, quàm quod in cruce factũ est à Christo. Cap. 5.

PRopterea si probauerimus unicum esse sacrificiũ, illud quod per Christum actum est, & quod à sacerdote in missa celebratur, & nõ aliud hoc, aliud illud, puto quòd ranæ egiptiæ obmutescent & obstrepescere cessabunt, & missam esse sacrificiũ omnino negare non poterunt. Illud uerò probare (præsupositis ijs quæ in superioribus dicta sunt) non est omnino difficile.

Quandoquidem illud idem mysterium est, quod in cœna tunc suis discipulis tradidit Christus, & quod nũc traditur in ecclesia, eadem quippé est res quæ offertur, & eadem quoq; sunt uerba, quæ ex Christi ordinatione narrantur; & habent eandem quoqué uerba uirtutem. Istud tantum fatemur esse discriminis, quod unum, & idem sacrificiũ uisibile dicitur, & inuisibile,

cruentum, & incruentum. Si hæc quæ apparent esse diuersa, quoquo modo rei ipsius oblatæ identitatem, uel efficentiam non auferunt, sic nec locorum uarietas ad unius rei pluralitatem arguendam sufficit. Potest enim deus rem unam in pluribus locis statuere eodem tempore, ut sit Romæ & Parisius. *Quare eadem potestate facere potest, ut res una uisibilis sit & inuisibilis, quod in superiori exemplo, (concessa locorum pluralitate) facili deductione monstratur. Quandoquidem, qui* Romæ *est homo; ab ijs qui parisijs sunt, non uidetur* Romæ, *licet parisijs uideatur. Nec rursus qui parisijs, ab ijs qui* Romæ *sunt uidetur parisijs, quia nec qui* Romæ *parisios uident, neq; qui parisijs* Romam.

Nonnulli ex aduersarijs hæc fieri posse, negare non uerentur, quod uideant ad huius mysterij ratione pertinere quod dicimus, cū Christum in pluribus locis esse necessario credere oporteat, si ueram corporis præsentiam, in suo mysterio asseramus. Non mirum ergo, si id fieri posse non credant, quo concesso, statim Argui possunt suæ impietatis. Sed tamen dei omnipotentia haud quaquàm neganda est, quæ ijs diuinis myesterijs ostenditur.

Nunc uerò ad probandum quod intendimus, abundè Christi uerba sufficiunt, & ad uiam dirigunt ueritatis, quibus se uerum pascha, non typicum, immolandum demoustrat, atquè huius oblationis memoriam, usquè ad consumationem seculi faciendam discipulis mandat.

Lucas

Lucas sic ait. Appropinquabat dies festus azimorum qui dicitur pascha. Et paulo post, uenit (inquit) dies azimorum, in quo necesse erat occidi pascha. In his locutionibus apparet Lucam, nomine paschatis notasse Christi mortem, in quo typicus ille agnus mosaicus mandabatur occidi, ut significaret Christum uerum agnū, non in figura, sed in ueritate occidendum. Quod magis expresse in Matheo ipse Christus ostēdit. Sic enim ait. Scitis quòd post biduum pascha fiet, & filius hominis tradetur ut crucifigatur. Et Iohānes sic dicit. Ante diem festum paschae, sciens Iesus quia uenit hora eius, ut transeat ex hoc mundo ad patrem. Et paulus ait. Pascha nostrum immolatus est Christus. In his locis Christus uoluit discipulis suis notum facere, se illum esse agnū immolandum, qui in agno typico deliniabatur, ne post hac putarent in populo dei aliud remanere sacrificium. math. 26. Ioh. 13 1. cor. 5.

Proinde agnus typicus priusquàm occideretur, offerebatur domino, ueluti reliqua animantia, quae sacrificabātur, sicut legimus in Leuitico, (uictimae enim sine dubio hebraeorum omnium consensu domino primum offerebantur.) Quare agnum quoque necesse erat offerri, cùm esset uictima. Sic enim legimus in exodo. Victima trāsitus domini est. Et in deuteronomio. Immolabis phase domino deo tuo. Quo dicto declarat, non tantum accepisse praeceptū filios Israel, ut comederent, sed ut offerrent. Quocirca recumbens Iesus in coena cum Apostolis, distributurus in mysterio suum corpus & sanguinē leu. 6. Exo. 12. Deu. 16.

(se scilicet uerũ agnum) post agnum typicũ, credendũ est ea seruasse omnia, quæ in agno typico seruabantur. Quare obtulit seipsum, primũ in mysterio panis & uini deo patri, sicut sub eodẽ mysterio se postea tradidit man
1. cor. ducãdũ, ut ueritas typo p omnia respõderet. Neq; enim
11. frustra dicit apostolus post euãgelistas, (sumpto pane)
math. gratias egisse atq; benedixisse. Et ecclesia ab apostolis
26. accipiẽs, addidit Christum oculos suos leuasse in cœlum,
mar. priusquàm se traderet in cibũ. Hæc omnia misticã obla-
14. tionẽ factam ab eo aperte ostendunt, & sicut ipse fecit,
lu. 22. hoc quoq; præcepit esse faciendum in sui cõmemoratio- nẽ, ad finẽ usq; seculi, ut iugis & perpetua permaneret memoria suæ oblationis, tã eius quã in mysterio fecerat, quã illius quæ postea cruẽta oblatione in cruce facta est.

Itaq; tunc in cœna uisibile sacerdotiũ instituit, tradita cõsecrandi & offerẽdi potestate, ne nouũ testamentum sine sacerdotio & uictima fieret. Cùm ergo dixit, hoc facite in meam cõmemorationem, perindè fuit ac si diceret, hactenus quidem in umbra legis immolarũt sacerdotes uitulos, tauros, hircos, & agnos. Hæc nũc omnia sacrificia finem habent. Ideoq; uos noui sacerdotes effecti, facite quod ego feci offerte primum, dein manducate & manducandũ præbete. Hoc igitur facite. Et dũ præcipit faciendũ in facto, suã præsentiam repromittit. Neq; enim aliter fieri potest, quod precepit, nisi facientibus presto sit, ut ipse suo spiritu isthic inuisibiliter operetur, ubi per apostolos externũ exhibetur ministeriũ.

Ipse enim est, qui facit quod promisit. Et quemadmodum suum sacramentum in cœna ipse Christus effecit, ita per uerba sacerdotum se cõsecrat, & sacerdotis quoq; ministerio sui corporis & sanguinis oblationẽ, deo patri offert, ut non alia sit oblatio, quæ nunc fit, quàm ea quæ tunc facta est. Et licet ea quæ in cruce facta est cruẽta, hæc uerò incruenta dicatur à patribus, non tamen alia credenda est. Igitur cùm dicit Christus, Hoc facite in mei cõmemorationem. Duo simul præcepisse ostẽdit, ut scilicet offerrent quod ipse obtulit, & manducarent quod manducandum instituit. At nunc uide, quid nostri agãt aduersarij, ad manducandũ suũ panem inuitant, & non esse offerendum clamitant. Ideoqué hoc mysteriũ cœnã uocant, & missæ nomen antiquare nituntur, ut maneat scilicet, memoria cœnæ, & in obliuionem transeat mortis oblatio. Quid antem bonæ frugis obtines, si Christũ referas, cum discipulis cœnasse, agni carnes mãducasse, & uinum bibisse? Aut quis fructus erit si Christi carnẽ manducas, & bibas sanguinem, mortis tamen eius, non sis memor, neq; illud unicum sacrificium referas deo patri? Deniqué nos missæ nomen tenemus quod habemus à patribus, & res ipsa Christi est institutio. Ideoqué missa est oblatio illa incruenta & repetita commemoratio paßionis & mortis Christi, quã faciendã Christus præcepit, & faciendi potestatẽ solis apostolis & sacerdotibus tribuit, cuius usum usqué in finem seculi seruari uoluit. Eant nunc hæretici & plusquàm Stentorea

uoce clamitent, qui contra incudem pugnant; neq; sperent io pæan; & io bis dicere pæan, quoniam uerbum domini manet in æternum.

Dialogismus continẽs obiectiones hæreticorum, & responsiones catholicorum, & ferè summam omnium quæ solent opponi. Cap. 6.

I.

SI simplicitatem catholicæ doctrinæ tenuissent hæretici, non opus erat, ad uiuum usque radere cutem; & tantos in orbe ciere rumores, in re tam acceptabili, quam omnium (sano iudicio) patrum consensu constat in ecclesia esse saluberrimam. Nempè cùm probè crederent patres in oblatione Christi, quæ facta est in cruce, omnia tunc euacuata esse mosaica sacrificia, intelligerentq; esse sacerdotibus datam potestatem consecrandi ipsum corpus, quod oblatum est in cruce, & ipsum sanguinem, qui pro nobis est effusus, in quibus Christus ipse factus, est sacerdos, & oblatio, offerens seipsum in sacri-
heb.7. ficium æternum, eò enim quod manet in æternum, sempiternum habet sacerdotium, insuper attendentes patres esse præceptum, ut tantæ rei memoriam facerent usque in finem seculi, non dubitauerunt ipsum totũ mysterium, quod fit in missa, uocare sacrificium, non modo eucharisticum, sed propiciatorium, quia per ministerium sacerdotum fructus oblationis Christi nobis applicatur, cùm idud fit quod Christus instituit. Et hac quidẽ

ratione, nihil sui agit sacerdos, sed totum agit Christus. Et quemadmodum Christus seipsum consecrat per os sacerdotis, & seipsum dat ad manducandum per eius manus, ita seipsum quoque offert in sacrificium, per ministerium ipsius.

Quapropter hoc mysterium sacramentum est, & sacrificium; quanquàm sacramenti ratio nobis magis aperta uideatur, quod sit sacrum signum per quod deus nobis exibet quam promisit remißionem peccatorum. Quomodo uerò sit sacrificium, non usque adeò perspicuum est, quod non uideamur aliquid reddere deo. istud tamen minimè obstat, quandoquidē Christus seipsum totum nobis donauit, quem sacerdos offert deo patri; non quòd per eius actionem, aliquid non sibi datum offerat, sed quia representat Christi mortem, in qua Christus quotidie in mysterio seipsum offert, & sicut seipsum Christus nobis dat in cibum quod est sacramentum, ita se pro nobis offert patri, quod est sacrificium. Hæc si cogitat pia mens, dictis patrum sine contentionibus acquiescet.

Veruntamen quoniam admodum frigida sunt & indocta argumēta quæ solent hæretici opponere, ad subdolas eorum argutias, quas in schedulis suis diffusas & dispersas spargunt in uulgus indoctum, operæprecium est respondere, ut certis & dilucidis respōsionibus, eorum astutia dilucescat, atque hoc totum negotium, sub nominibus Hircini, & Eusebij peragendum est, ut tan-

dem missam esse sacrificium cõcludamus, qui totius causæ est status.

Hirc. Igitur superba calliditate prosilijt & insultans se, opponit & arguit. Quomodo fieri potest (inquit) quòd Missa sit sacrificium, quandoquidem cõmemoratio oblationis est Christi? Nulla enim res est, quæ sit memoria sui. Certè, omne quod memoria alicuius est, nõ illud est cuius est memoria. Res hæc exemplis est patens. Leonis figura non est leo, sicut nec pictura Cæsaris est Cæsar. Ita pariter, memoria sacrificij, non uidetur posse dici sacrificium.

Euseb. Cùm habeas cor obtectum nequitia, haud mirandum est si quæ diximus non capias. Quæ si diligenter aduertas, hæc tua ratio statim in ipso limine offendit, & ex cõsequentibus, nõ cõsequentia colligis, & quæ producis exempla nõ congruunt. Illa quia secundũ naturam sunt, naturalem habent consequentiã, ut figura leonis non sit leo, quia cũ figura leonis, (in natura) nõ est ipse leo; & Cæsaris pictura, non est Cæsar, quia in pictura non est ipse Cæsar. Sed ad hoc mysteriũ quod operatus est deus, nõ habet consequentiã quod nectis & infers. Vna enim & eadem res est, quæ oblata est discipulis in cœna, & quæ nũc fidelibus exhibetur. Quia unũ & idem corpus Christi; unum quoq; & idem est sacrificiũ quod uisibiliter factum est à Christo in cruce, & quod in mysterio uel in cœna ab ipso factum est, uel à sacerdote in ecclesia fit in missa. Id uerò quod fit in mysterio, in repre

sentationem & memoriam eius, fieri dicitur, quod factum est in cruce, & quod semel oblatum est, iugiter quoq; offertur, quia ipse semper præsens est, qui semel oblatus est, ad multorum exhaurienda peccata, & una oblatione cõsumauit in æternum sanctificatos; & quotidie tamen in sacramento offertur à sacerdote, sicut & ipse Christus quotidie & semper offert se patri pro nobis ea oblatione unica, qua passus est in cruce. heb. 9.

Hirc. *Cùm missa sit promißio dei, & donum quo remittuntur peccata (nam instituta est in remißionem peccatorum) quomodo ergo est sacrificium, quod est opus nostrum deo exhibitum? Vtriusquè ratio alteri repugnat, ut quod est unum, alterum esse nequeat.*

eus. *Maliciosè tuas aures occlusisti, & neglexisti quæ dixi. At nunc ostendis quibus insidijs & captiunculis soles incautos decipere. Non usquè adeò puto te ignorare scripturas, qui nescias omnia bona, dei dona esse, & in nullo gloriandum, quando nostrum nihil est; & tamen deo nihil offerri omninò non dicis, cùm uel uota tua & cor contritum aut gloriam uel honorẽ deo reddis. Et certè hæc omnia habemus à deo, ut reddamus illi. Nihil igitur prohibet, quin Missa sit promißio & donum dei, & oblatio, & sacrificium. Omnia enim uæteris testamenti sacrificia, erant dei dona, sicut scriptum est, domini est terra & plenitudo eius; & Dauid introducit deum, qui dicit meæ sunt feræ siluarum iumenta in montibus & boues. Cognoui omnia* Iac. 1. psal. 23. psal. 49.

uolatilia cœli, & pulcritudo agri mecum est. Si esurie-ro non dicam tibi; meus est enim orbis terræ & plenitudo eius. Et Dauid ipse in oratione, quam fecit coram populo, post reliqua in quibus dei gloriam prædicauit, sic dicit; quis ego, & quis populus meus, ut possimus hæc tibi uniuersa promittere? Tua sunt omnia, &

1.par. quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. Nihil igitur

c.29. nos deo damus, quod non priùs ab eo habuimus. Quare perijt uestræ argutiæ spes; & nisi solidiores habeatis rationes, uestram proditis insaniam, quòd leuibus somnijs à catholico dogmate recessistis.

Anathemata facere præsumunt hæretici, & nouos articulos fingunt, & repetunt, sed impietatis & inscitiæ arguuntur. Cap. 7.

Hirc. NOs in nostro cœtu quo aliquando coimus pro firmandis fœderibus ministrorũ, anathema fecimus aduersus catholicos, quia dogmata nostra uera sunt, & euangelica, (hinc euangelici dicimur) & ex antiquiori etiam usu ecclesiæ, & ex patribus solidiora habemus argumenta: igitur omnium nostrorum iudicio, hoc præsertim protulimus anathema.

Asserere cum papistis cœnam domini esse missam priuatam, & oblationem seu sacrificium appellandam, ut pro alijs uiuis ac mortuis mereatur illud sacrificiũ remissionem pœnæ & culpæ, error.

Qua præsumitis arrogantia uos qui extra gregem Christi estis, & ab ecclesia præcisi facere anathemata, & nouos cudere articulos falsos, ueluti qui falsam cudunt monetã? Sed sicut isti tandem debitas pœnas dant, ita uos ingens manet supplicium. Sed dic quæ uos urgent causæ, ut catholicis aduersemini? euseb.

Christus cœnam domini (quam hactenus missam, nescio qua appellatione uocarunt) publicam instituit, testantibus hoc euangelistis. Hirc.

Quod fingas nescire te cur cœna domini missa uocatur, ob id est quod horres à nomine, quod suo sono tuã prodit impietatem. Iohannes Reuchlinus te doceat. Neq; nouum nomen est, ut prætẽdis. De missa meminit Ignatius Iohannis apostoli discipulus ad Smirnenses, ne quis putet nuper inuentũ meminerunt primi pontifices post petrũ sic ut primo libro ostendimus, & in omnibus fermè concilijs patrum fit mentio de missa, & in scriptis sanctorũ, Augustini, Ambrosij, Hieronymi, Gregorij. Quid plura? Admiranda profectò, & abhominanda est uestra maledicentia, quòd omnia quæ apud nos sunt, caluniamini, & manifesta negatis, ut in omnibus facescatis negotium pijs catholicis, quorum sacramẽta ridetis. euseb.

Paulus Corynthijs scribens publicam cœnam facit, dum inquit, quoties conuenitis ad comedendum alius alium expectate, ad comedendum (inquit) non ad uidendum aut audiendum missam. Hirc. 1.cor. 11.

Congregatis sentẽtias ex scripturis quas uobis fauere euseb.

putatis. At nõ integras (ubi uobis resistunt) sed mutilas & dimunitas. Nam eo loco ubi uerba Pauli decerpsisti, idem apostolus dicit, & mortem dñi annunciabitis donec ueniat. Qua fronte igitur asseris nõ esse missam audiendam in qua mors domini refertur, quam annunciandam præcepit? At quibus annuncianda est, si nemo adsit? Quare illud quoq; præcipit audiẽdum, quod erat prædicandum, & hoc præcipue attendendũ, non comedendum & bibendum, quanquàm, utrunq; faciendũ est.

Hirc. Christus in institutione cœnæ dixit, edite & bibite, non, audite tantum & uidete.

Euseb. Fermè tẽperasti hircine, dolose sermonẽ, & audiendã missam uideris admittere, sed uis communicare. At nos neminẽ arcemus à cõmunione (si liceat) sed sæpius hortamur. Audiendã uerò Christi mortẽ & cordi infigendã instantiùs prædicamus, quod Christus uoluit maxime.

Hirc. Papistæ nullum habent mandatum neq; testimoniũ scripturæ de applicatione.

Euseb. Amaro es animo, & impotenti ira furis, qui catholicos (iniuriandi animo) papistas uocas. Ideo nos modestiùs respondemus. Omnia scripturarum testimonia quæ de fructu mortis loquuntur, (sunt autem plurima) nobis seruiunt. Quia eadem oblatio est & applicatio, nisi tantæ estis temeritatis ut tandem Christi mortem negetis applicari ad salutem electis.

Hirc. Veteres cœnam synaxim uocant; hoc est multorum communionem.

Veteres quoque missam lyturgiam uocant, hoc est oblationem. euseb.

Scriptura docet nos iustificari coram deo per fidẽ: ergo nõ ex opere operato iustificamur propter missam. Hirc.

Scriptura etiam docet sacramenta instrumenta & media esse iustificationis, sine quibus nemo potest saluari. Docet fidem sine operibus mortuã esse. Docet opera esse necessaria. Docet eam non esse fidem, quæ nõ innititur operibus Christi, quæ pro nobis operatus est. Ideoq; meruit ex opere operato, quod est efficax in missa. euseb. Ioh. 3. Iac. 2.

Ante Gregorium papam, nulla fit mentio priuatæ missæ apud patres. Hirc.

Miror tuam & tuorum inconstantiam, & uerba nimia præsumptione turgentia; putatis reliquos omnes esse lapides aut stipites, qui non sentiant uestras imposturas? Cõstat missam & publicam & priuatam multo ante Gregorium fuisse. Si uerò ratio uestra uerum continet, tamen est impertinens, & possumus argumentum in uos retorquere. Nullus ante hæc tempora nuquàm negauit missam publicam uel priuatam esse sacrificium. Nequé quisquam tanto ausu temerario se opposuit potestati ecclesiæ quàm uos, quibus (ut dixi) nulla uetera placent & rebus nouandis (ob uestri nominis gloriam) semper attenditis. euseb.

Christus semel passus est & æternam redemptionẽ inuenit, nequé potest offerri amplius. Hirc. heb. 9.

Vide obsecro quomodo eadẽ sæpe deliramẽta ingeras euseb.

& quod semel & secundo solutum est argumentū repetis. Ideò fatemur, oblatum semel Christum cruento sacrificio, quotidie tamen incruenta oblatione offerri,

Hirc. *Si quotidie Christus offertur, quotidie patitur.*

eusеb. *Hanc tuam consequentiam, secundum ueram artem non admitto; neque ex uero quod sumis, falsum sequitur quod subinfers. Nam reuera dicimus, quotidiè & sæpiùs Christum offerri, & non dicimus pati sæpè, sed semel passum, qui se una oblatione sæpiùs offert. Iam audistis, quid iterum uultis audire?*

Hirc. *Chrysostomus loquens de communi & publica missa ait, Sacerdos quotidie stat ad altare, & alios ad communionem accersit, alios arcet.*

eusеb. *Non damnat Chrysostomus missam priuatam, cuius temporibus ueteres, etiam domi suæ solebant euchari-*

hiero. *stiam accipere, sicut indicat Hieronymus in apologia, aduersus Iouinianum, cum ait. Quare non ingrediuntur ecclesias? An alius in publico, alius in domo Christus est? Quod in ecclesia non licet, nec domi licet. Idem uidetur*

1.cor. 11. *innuere Paulus dicens, an domos non habetis ad mādu- candum? Itaq; non damnaret (si uiueret Chrysostomus) usum misse priuatæ in qua solus communicat sacerdos celebrans. Quanquàm tamen (ut diximus) qui uult (si licet,) communicat, & non reijcitur.*

Hirc. *Veteres canones ostendunt unum aliquem missam celebrasse, à quo reliqui presbiteri & diaconi sumpserunt corpus domini. Sic enim sonant uerba canonis*

Niceni. Accipiant diaconi secundum ordinem, post presbiteros ab episcopo uel à presbitero sacram communionem.

Non frustra scriptum est, qui in sermone non labitur, hic perfectus est uir. Tu Hircine Canones citas & patres, cùm non fidas neque patribus, neque canonibus, ex quibus probas missam publicam, quã nos non negamus, & putas abrogasse priuatam, quod non estis facturi; & nihil contra nos agitis, qui & communicamus & Canones recipimus. eusèb. Iac. 3.

Historia tripartita testatur olim in ecclesijs frequentissimis, non fuisse quotidiè celebratas missas. Hirc. lib. 9. c. 39.

Vix me contineo Hircine, quin dicam, o stulti & tardi ad credendum, aut illud magis, quæ uos dementia cæpit. Nempè sæpè repetis de missa antiquitus apud ueteres canones, & in historia tripartita nominari missam, quam tamen fingitis esse nouum commentum, ut nesciatis, quid loquamini. Proindè, ut respondeam, scimus in sumẽda eucharistia uarios fuisse mores apud patres. Romæ, teste Hieronymo, mos fuit, ut quotidie fideles Christi corpus acciperent. Quod nec reprehendit, neq; probat Augustinus ad Ianuarium sic dicens. Si peccata tanta non sunt, ut excommunicandus quisquè homo iudicetur, non se debet à quotidiana medicina dominici corporis separare. Non est igitur spectandum, quid egerint antiqui patres, sed quid agendum sit ex publica institutione ecclesiæ. eusèb. Aug. lib. 1. c. 3.

Hirc. Non negamus missam antiquitus nominatam, sed dicimus religiosius fuisse celebratam, & non quoslibet indiscriminatim admissos. De eucharistia & missa sic

Igna. dicit diuus Ignatius ad Smirnenses. Firma eucharistia reputetur, quæ ab episcopo concessa fuerit. Vbi episcopus præsens fuerit illic & plebs cōgregetur & paulopost, propterea (inquit) non licet sine episcopo neq; offerre, neque sacrificium immolari, neque missas celebrare. Hinc apparet magis publicam fuisse missam & in suo decoro obseruatam, quam non licebat sine episcopo celebrari. Et uerisimile est ipsum episcopum quotidie celebrasse, presente plebe, quod ex alijs etiam possumus conijcere.

Euseb. Quod refers ex ignatio, nos credimus, dolemusque fere missam esse in suo genere prophanatam, & agimus gratias deo, quod ista reducitis ad memoriam, atq; utinam uos admonitiones nostras suscipiatis, sicut nos uestras in hac re. Vtrosque enim damnat scriptum Ignatij, & uos qui missam negatis, & nos qui ab antiquo decoro & honestate defecimus.

Hirc. Sed illa missa publica erat. Missa uero priuata, tollit meritum Christi, & eius sacrificium inutile, inefficax, & insufficiens facit.

Eufeb. Rursus ad intermissa redis uaniloquia, & inhæres friuolis et uanis sermonibus. Quomodo missa tollit meritum Christi, quæ ipsissimum meritū Christi est ab ipso factū, & fieri præceptū? Inefficax, inutile & insufficiens est

tuum somnium; missa uerò quæ est meritum Christi, & eius sacrificium, utilis est efficax & sufficiens.

Non ualeant sacrificia ulla amplius in nouo testamento pro peccatis, ergo nec sacrificium missæ. Hirc.

Durus es nimium & saxeus, & obdurato corde resistis ueritati. Licet enim demonstratum sit pluribus sermonibus, unum idemqué esse sacrificium, quod in cruce oblatum est, & id quod offertur in missa, sic denuo arguis, quasi sint distincta. Quo argumento potes ex assumpto pariter colligere, ergo nec sacrificium Christi. Porrò non ualent certè ulla sacrificia in nouo testamento pro peccatis. Ea scilicet sacrificia de quibus dicit scriptura: Hostiam & oblationem noluisti. Corpus autem aptasti mihi. Holocaustomata, & pro peccato non tibi placuerunt. Sed illud sacrificium deo gratum est & acceptum de quo sequitur, tunc dixi, ecce uenio. In capite libri scriptum est de me, ut faciam uoluntatem tuam. Aufert primùm (inquit apostolus) ut sequens statuat. In qua uoluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel. Hoc sacrificium cruentum semel factum est; & ipsum semper incruentum offertur in mysterio, sicut toties diximus. Sed ad hæc surdi estis uos omnes, & tanquam aspides surdæ aures uestras obturatis ne exaudiatis uoces incantantium sapienter. Idest dicta patrum catholicorum qui de cauernis uestræ cæcitatis salutari doctrina uolunt uos educere.

Eusеb.

psal. 39.

Heb. 10.

Vos uerò affixis humo auribus, uel cauda serpentis obductis obsurdescitis, atq; pertinaciter resistitis.

Hirc. In græcis parochis, nec hodiè quidem fiunt priuatæ missæ, sed fit una publica missa. Idquè tantum dominicis & festis diebus. In monasterijs fit, quotidiè missa, sed tamen publica.

Euseb. Quid sub hoc uerborum inuolucro tibi uelis, uix ego intelligo. Non enim ad scopum pertinent, quem nunc agimus, sicut nec reliqua multa quę blateras. Negas missam esse sacrificium, & græcorum morem obijcis. Quid hoc ad Rhombum? Verùm ad id quoquè respondemus. Quod missam publicam probas rectè facis. At cur tanto odio missas priuatas insectaris? Si bona est missa; quid mali est; si sæpius iteretur? Quod semel fecisse bonum est (inquit Hieronymus contra uigilantium) non potest malum esse si frequenter fiat, aut si aliqua culpa uitanda est; non ex eo quod sæpè, sed ex eo quod fit culpandum est. Cur ergo infensi estis missæ priuatæ, cùm ea fiant omnia & dicantur, quæ & in publica & solemni? Symbolistæ qui inter uos permixti sunt, utranq; semper damnarunt. Vos aliquando publicam missam fecistis. Tandem communi consensu (inito fœdere) omnem missam exclusistis, si uos missam publicam uocatis, in qua omnes communicant (sicut prætenditis) manifestum est græcos non communicare omnibus dominicis & festis diebus, minusquè eos quotidiè, qui sunt in monasterijs. Si uerò eam publicam, quæ solemnis

Hier.

Luth.

lemnis est, quam magnam uocamus ad quam undiq; populus concurrit, nec tamen communicant, sed audiunt tantum, sacerdos uerò etiam solus communicat, certè tua ratio nihil probat quod intendit. Quanquàm, quid agant græci non est nobis curæ, nec id spectamus. Nos latini sumus, & regulas fidei catholicæ sequimur. Ideo utrasq; missas laudamus & tenemus. Vos demum nec græci estis neq; latini, sed ab utrisquê recessistis, & uestra conuenticula facitis, & absquê causa Christi tunicã sciditis. At dic Hircinæ, cur sic missam abhominaris?

De pluribus nos falsò criminantur hæretici præsertim de inuocandis sanctis, & quomodo sunt inuocandi. Cap. 8.

Cum nihil magis deo displiceat, neq; (reuera) quicquam magis sit abhominandũ, quàm idololatria, uos omninorem omniũ perniciosissimam facitis, & estis idololatræ, qui non deum solum colitis (sicut ipse præcepit) sed gentium more, alios deos fingitis, quos sanctos uocatis; illosquê in uestris nephandis mißis inuocatis, ab illis sperantes auxilium, ne quicquàm à domino, qui benignè nos uocat ad se. Inuoca me (inquit) in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me, & in euangelio, uenite ad me (inquit) omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Cùm ad se nos uocat, non debemus ad alios habere refugium.

Hirc. Deu. 6. psal. 49. math. 11.

t

eufeb. Non minus improbi eſtis uos noui hæretici, quàm qui hæreſim manichei profitebantur. Hijſdem nempè uerbis calumniam ſtruitis contra catholicos, quibus illi, ut opinandum ſit: Vos ab illis hoc calumniãdi ſtudium deſumpſiſſe, cum dicitis, deos alios nos fingere, quos ſanctos uocamus. Sicut illi dicebant, nos uertiſſe idola in martyres, quos uotis ſimilibus colimus. Hæc uerò ſola maledicendi cupiditate, uos in nos calumniamini, qui doctrinam catholicorum, (à quibus receßiſtis) nõ ignoratis.

Aug. lib.20. ca.21. Populus enim Chriſtianus (inquit Auguſtinus cõtra fauſtum) memorias martyrum religioſa ſolemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum conſocietur, atq; orationibus adiuuetur. Ita tamen, ut nulli martyrum, ſed ipſi deo martyrum, quàmuis in memorias martyrum conſtituamus altaria. Quis enim antiſtitum in locis ſanctorũ corporum aßiſtens altari, aliquando dixit, offerrimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane, ſed quod offertur, deo offertur, qui martyres coronauit, ad memorias eorum quos coronauit, ut ex ipſorum locorum admonitione, maior affectus exurgat, ad acuendam charitatem; & in illos quos imitari poſſumus, & in illum quo adiuuante poſſumus. Colimus ergo martyres eo cultu dilectionis & ſocietatis, quo & in hac uita coluntur ſancti homines dei, quorum cor ad talem pro euangelica ueritate paßionem paratum eſſe ſentimus. Sed illos tanto deuotiùs, quanto ſecuriùs poſt incerta omnia ſuperata, quanto etiam fidem

tiore laude prædicamus, iam in uita fœliciore uictores; quàm in ista adhuc usque pugnantes. Sic Augustinus. *Quid in hoc sanctorum cultu impium, quid sacrilegum somniatis?*

At inuocandi non sunt in missa; solus deus inuocandus est. Primùm id dico, *nullã orationem esse in missa quæ ad sanctos dirigatur, sed fermè omnes ad patrem per filium, ut deprehendamini, quo amaro animo, hæc fingatis.* Deindè, *si quandoquè pij fideles sanctos inuocant, non eò, eos inuocant, ut putent eos esse suæ salutis authores, quasi sua uirtute, quæ ab ipsis petimus nobis ipsi impartiantur.* Hoc enim nomine, *solus deus inuocandus est, qui est cultus latriæ, quæ est propriæ diuinitati debita seruitus, quàm sibi exhiberi nolunt sancti, uel angeli uel homines, ueluti conserui nostri, unum atquè eundem deum adorantes, quem confitentur fontem esse omnis boni, auxilij & salutis.* Apparuit hoc in Paulo & Barnaba, *quibus licaonæ tanquàm dijs immolare uoluerunt, quos grauißimè etiam conscißis tunicis increpauerunt.* Simile legimus de Petro, *qui Cornelium procidẽtem ad pedes eius increpauit dicens, surge & ego ipse homo sum.* Sic Iohannem *ab hoc cultu legimus ab angelo esse prohibitũ.* Hoc itaquè cultu *solus deus inuocandus est; quia ipse solus adiutor noster est & uirtus in tribulationibus ab ipso solo salutis nostræ summam speramus.* Ipse *solus occidit, & uiuificat, percutit & sanat.*

Hirc. eufeb. act. 14 act. 10 Apo. 19.22.

Ideoque alia ratione pij fideles sanctos inuocant, hoc est interpellant, ut (ueluti eiusdem corporis mēbra) ipsi nos, suis orationibus adiuuent apud deum, qui in portu salutis sunt, qui diuina fruuntur præsentia. Sic in hac
math. uita pro Chananea deprecabantur Apostoli. Hoc in-
15. uocandi genere, & nos infirmi quandoque medicos inuocamus, nō quòd credamus nostræ salutis authores, sed
1. par. ueluti dei ministros. Cùm egrotasset Asa Rex dolore
16. pedum uehementissimo, nō ob id reprahensus est, quod medicos inquisisset, sed quia in arte medicorum magis confisus est; & quia dominum non requisierat.

Ita pariter si quis in sanctis magis fideret quàm in deo, huius damnanda est superstitio, quæ est idololatria. Proinde admonendi sunt simplices, ne magis fidant alicui sanctorum, quàm deo. In hunc errorem facile cadunt mulierculæ, quæ putant b. uirginem magis esse clementem, quia mulier est, & quia mater est, quasi possit Christo præcipere. Eæ sunt carnales cogitationes, quæ sunt à cordibus simplicium lanis exhortationibus eximendæ. Non ut cessent ab huiusmodi, quam nunc diximus inuocatione sanctorum, sed ut absit omnis falsus cultus, quo honor soli deo debitus transferatur in sanctos. In hunc
Aug. sensum loquitur Augustinus libro de uera religione.
c. 55. Non sit uobis religio (inquit) cultus hominum mortuorum, quia si piè uixerint, non sic habētur, ut tales quærant honores, sed illum à nobis coli uolunt, quo illuminante, lætantur meriti sui nos esse conseruos. Honorandi

ergo sunt propter imitationem, nõ a lorã di propter religionem. Et paulo post ait. Quare honoramus eos charitate, non seruitute. Nec eis templa cõstruimus. Nolunt enim se sic honorari à nobis, quia nos ipsos (cùm boni sumus) templa summi dei esse nouerunt.

His itaq; cognitis (inquit Chrysostomus in epistolam. b. pauli primam ad tessaloniceñ.) nec sanctorum preces contemnamus, nequé totum in illas proijciamus. Hoc quidem, ne temere insidijs opprimamur. Illud uerò, ne extra multũ lucrum, & profectum excidamus. Sed oremus etiam, ut pro nobis præcentur, manumq; porrigant, adhæreamusq; & ipsi uirtutis studio, ut bona diligentibus deum promissa consequi ualeamus. Hæc Chrisostomus, ex cuius dicto apparet, non prohiberi quo minus desideremus sanctorum præcibus apud deum adiuuari, quos certo scimus pro nobis orare. Audi aureum dictum eiusdem sancti uiri in homiliam ultimam ad Romanos. Si Paulus (inquit) cùm hic esset, usque adeò dilexit homines, ut cum dissolui ex animi proposito, & cum Christo esse cuperet, elegerit hic esse, multo magis illic feruentiorem amorem ostendet. Ego & Romam propterea diligo, tametsi & aliunde queam illam laudare, nempè à magnificentia, ab antiquitate, à pulcritudine, à multitudine, à potentatu, à diuitijs, & à rebus in bello fortiter gestis. Sed relictis illis omnibus, ob id illam beatam deprædico, quòd erga illos Paulus, dum uiueret, adeò fuit beneuolus, adeò illos amauit, coram Chry. cap. 1. chrys.

disseruit, & postremo uitam apud eos finiuit. Vnde & ciuitas ista facta est insignis plusquàm à reliquis omnibus. Et quemadmodum corpus magnum ac ualidũ, duos habet oculos illustres sanctorum uidelicet illorum (Petri & Pauli) corpora, ita cœlum non splendescit, quando radios suos sol ex sese dimittit: quemadmodum Romanorum urbs duos illos lampades ubiquè terrarum effundens. Hinc rapietur Paulus. Hinc Petrus. Cõsiderate et horrete, quale spectaculum uisura sit Romà, Paulũ uidelicet repente ex theca illa cum Petro resurgentem in occursum domini sursum ferri. Qualem Rosam Christò mittet Roma? Quibus coronis duabus ornata urbs ista? Quibus cathenis aureis cincta est? Quales habent fontes? Propterea celebro hanc urbem, nõ propter copiam auri, non propter columnas, nequè propter aliam phantasiam, sed propter columnas illas ecclesiæ. Quis mihi nunc dabit circunfundi corporis Pauli, affigi sepulchro? Videre puluerem corporis illius, quæ adhuc in Christo erant adimplentis. Stigmata illius gestantis prædicationem euangelij ubiquè seminantis. Hanc sententiam Chrystomi, prolixiorem adduxi, non ut te confundam Hircine, sed ùt confundatur error tuus & cæterorum, qui è suo celebro fingunt Petrum nunquàm fuisse Romæ & inania somnia suo more effutiunt, negantquè sanctorum reliquias esse uenerandas, quibus circunfundi optat Chrysostomus, & quas alibi in homilia ad populum Antiochenum dicit,

chrys. hom. 66.

habere uim sistendi & torquendi dæmones, & incorporeas potestates, quorum sepulchra, regijs aulis sunt clariora (non magnitudine & ædificiorum pulchritudine) sed (quod multo maius est) conuenientium studio, qui sanctis supplicant, ut pro se apud deum intercedant, & scenarum fabrum & piscatorem, (etiam mortuos) ut protectores orat, qui diademate redimitus incedit. Ipse etiā Chrysostomus optat in homilia ad ephesios, chrys.
dicens. Vellem nunc esse in eis locis in quibus dicuntur hom. 3
esse ista Pauli uincula, & merito celebrarē uiros istos, qui huius erga Christum desiderij fuerūt. Cuperem uidere cathenas illas, quas quidem uerentur & horrent dæmones, uenerātur uerò angeli. Hic ego possem testes Orig.
cōplures uocare ex Græcis & Latinis, origenē in can ca. 3.
ticis in Iob, Cyprianum de stella & magis, Gregorium ca. 2.
nazianzenū, Theodorum, Gregorium & reliquos ca= cypri.
tholicos, quorū nullus unquàm addubitauit sanctos ora= Greg.
re pro nobis, & à nobis piè inuocari, eorumq́; reliquias nazi.
uenerari. Hieronymum tibi non nomino, qui contra ui= theod.
gilantium qualis sit non ignoras. Hier.

Non admodum repugnarem sanctos, qui cū Christo Hirc.
sunt pro nobis orare, quippè qui appetant quoq́; salutē nostram, quos sciunt in hoc uasto pellago, dirruptam nauem, corruptis mercimonijs onustā, & cōtrarijs uentis agitatam sine uelis & remigijs relictam, cæco nauiculario rectā, in periculosissimas trahere syrtes. Itaque sancti; qui in portu salutis sunt, sua nos charitate

adiuuant, deprecantes pro nobis apud deũ, ut nos, è tantis scopulis, dirrigat ad tranquillum salutis portũ. Hoc inquam facilè admiserim. Hoc uerò non placet, quòd inuocatis eos, quia de sanctis inuocandis de scripturis sacris, ne uerbum quidem ullum comperis. Et inuocatio sanctorum obscurat gloriam Christi. Deindè illud gentilicium figmentum est, quod seruandis quibuslibet pecoribus & sanandis hominum morbis peculiares quosdam sanctos affigitis. Demũq;, nũdinationes & mercimonias facitis, lucra captãtes ex uestris martyribus et sanctis confessoribus. Taceo inuidias & emulationes, quæ indè nascuntur in facticijs religionibus (quas ordines uocatis) dùm unusquisquè sanctulum, qui è suo grege est, alteri præfert, lucri captandi gratia. Ob quod miracula fingunt & refingunt, & in breuiarijs religiosè legenda describunt, quæ tamen nasutuli & qui acrimonia sensus uigent, non absq; causa derident.

Euseb. Facilè te dicis admissurum sanctos qui in cœlis sunt, orare pro nobis, quos tamen negas inuocandos. Quòd si rectè perpendas, in solis uerbis, tota est nostra cõtentio. Quid enim refert apud deũ, siue illud dicas, exaudi domine preces sanctorum tuorum, quos scimus pro nobis apud te orare, siue dicas, sancte Paule ora pro nobis, quem scio pro nobis orare, nisi illud etiam uelis impium esse, quod uideamur orare pro sanctis, cùm precamur illos exaudiri; & dicas pariter, nihil simile in scripturis sacris inueniri. Id si tu (pro tua leuitate) dixeris, nescio

quomodo orandum sit, ut fiat uoluntas domini. Nam Math.
si sancti pro nobis orant in cœlis, quod facile admittis, 6.
uoluntate dei orant, qui si nolet, non oraret.

Esto (ut dixi,) orare sanctos qui in cœlis sunt pro Hirc.
nobis; non obstat tamen quin pie dicamus, fiat uoluntas tua, quæ certe fit, cùm uolente deo sancti orant pro nobis. Sed non eò sequitur, ut nos dicere poßimus, exaudi domine sanctos tuos.

Noli Hircine in re tam lucida nobis aduersari. An eus᷑eb.
non liceat desiderare sanctos exaudiri, quos scimus pro nobis orare? Non te puto *dicere, non licere, & hactenus (quod sciam) nullus dixit. Si ergo liceat desiderare, cur non liceat, pro eo desiderio orare, ut desiderio succedat oratio?*

Cogit me quidem hæc tua ratio, ut admittam licere Hirc.
rogare deum, ut sanctorum preces exaudiat, sed non cōsequeris, quod intendis licere, ea ratione inuocare sanctos, quos sæpè dixi non esse inuocandos, quia hæc inuocatio obscurat gloriam Christi, & in scripturis non inuenitur huius inuocationis exemplum.

Ea quippe inuocatio, qua tota fiducia nitimur in eū eus᷑eb.
quem inuocamus, obscurat gloriā Christi, qui solus hoc nomine inuocandus est, qui solus est mediator redem-
ptionis. Vnus est mediator dei & hominum homo Chri- 1.thi.
stus Iesus, inquit Apostolus. Sed ea inuocatio, de qua 2.
etiam supra diximus, que proprius dicitur interpellatio, non obscurat, sed clarificat gloriam Christi. Moyses

deu.5. dictus est mediator, & Othoniel, dictus est saluator, &
Iud.3. in libro regum dicitur. Dedit dominus saluatorē Israeli,
4.re. & Ioseph dictus est saluator mūdi. At nos nō credimus
13. istos sic uocatos in sua uirtute, sed quia deus operatus
Geñ. est in eis, ut tales essent. Quare conspicit deus piam
41. intentionem, quæ tandem in eius gloriam perficitur.
Quòd dicis, exemplum non inueniri huius inuocationis, omninò falsum esse conuinceris. Quoties Paulus rogat,
ro.15. ut pro se orent? Ad Romanos scribens, ait, obsecro uos fratres per dominum nostrum Iesum Christum & per charitatem sancti spiritus, ut adiuuetis me in orationi-
eph.3. bus pro me ad deum. Et alibi orantes omni tempore in spiritu, & in ipso uigilantes, in omni instantia, et obsecratione pro omnibus sanctis, & pro me, ut detur mihi
col.4. sermo. Et iterum, orantes simul & pro nobis, ut deus aperiat nobis ostium sermonis, & fratres orate pro no-
2.thes. bis, ut sermo dei currat. Plura occurrunt huiusmodi exempla in scripturis.

Hirc. Hæc omnia quæ affers, exercitia sunt uiuorū, pro nutrienda inuicē charitate, quia fratres nostros hic in carne uidemus, à quibus auxilia petimus, uel eorū orationibus nos comēdamus. At de sanctis qui cum Christo sunt, Nihil est simile, quia iam non sunt nobiscum, nec eos uidemus, ut poßimus ab eis sperare auxilium.

eusеb. Ergo ne putas sanctos qui cum Christo sunt amisisse uiscera Charitatis, cùm iam sint plenißimè sanctitatis, ut qui in carne positi orabant pro inimicis suis, nunc

non orent pro supplicibus suis? Si Apostoli & martyres (inquit Hieronymus) adhuc in corpore constituti possunt orare pro cæteris, quando pro se, adhuc debent esse soliciti, quanto magis post coronas uictorias, et triumphos? Vide si uis contra uigilantium. Quia ergo cum Christo triumphant tanto magis ardent amore & pro nobis orant. Quos & si in carne nõ uidemus, nihilosecius tamen uidemus in spiritu, sicut & deũ & Christũ, nõ in carne, sed in spiritu inuocamus. Ipsi etiam sancti qui cum Christo sunt in spiritu, nos uident et uoces nostras audiunt. Oratio enim cordis, nõ oris, ascendit in cœlũ. Augustinus libro de cognitione ueræ uitæ soluit hãc quæstionẽ. Quomodo animas sanctorũ scilicet Petri et Martini uel alterius iusti, preces suas exaudisse multi experti sunt? Animæ (inquit) nõ clamorẽ uocis, sed cordis audiunt; & se fideliter inuocantibus subueniunt. Neq; magis clamosas preces audiunt, quàm eas quæ sine uoce, uel in lingua, nel in corde tantum fiunt, quia neque à nobis uerba, sed uoces cordis tantum audiuntur. Cæterũ uerba mente uidentur. Cùm ergo animæ nostræ, aliquid secundum deum desiderant, & hoc sibi à deo per sanctos dari, siue corde, siue lingua, siue uoce postulant. animæ sanctorum, quibus est idem audire, quod uidere, & econuerso, non uoces, sed uerba intuentes, desiderata eis à deo impetrant, ut scriptum habetis. Desiderium pauperum exaudiuit dñs, hæc Augustinus. Veruntamen, quoniam aliqui hunc librũ negant esse Augustini,

Hier. contra uigil.

Aug. c. 39.

psal. 9

Aug. c.64. locum de quo nulla extat dubitatio an Augustini sit, adducemus, in libro de cura pro mortuis gerēda ad Paulinum, de quo libro meminit Augustinus libro retractationum secūdo, & in hoc libro de cura pro mortuis, soluit ipse quæstionem, quo nam modo martyres ipsis beneficijs, quæ dantur orantibus, indicant se interesse rebus humanis, & inter reliqua sic ait: Alij itaque sunt humanarum limites rerum: Alia diuinarum signa uirtutum. Alia sunt quæ naturaliter, alia quæ mirabiliter fiunt, quàmuis & naturæ deus aßit ut sit, & miraculis natura non desit. Non igitur ideò putandum est, uiuorum rebus, quoslibet interesse posse defunctos, quoniam quibusdam sanandis uel adiuuandis martyres assunt, sed ideò potiùs intelligendum est, quòd per diuinam potentiam, martyres, uiuorum rebus intersunt, quoniam defuncti per naturam propriam, uiuorum rebus interesse nō possunt. Sic Augustinus. Qui etiam dicit. Quòd eisi hæc questio suas uires excedat, certum tamen esse eos qui inuocant, siue orant ab ipsis martyribus adiuuari, ex quibus fit manifestum, quòd sine dei iniuria à nobis possunt inuocari.

Aug. c.16.

Greg. nazi. Gregorius nazianzenus, in laudem diui Basilij sic ait. Licet enim nos reliquerit, non tamen omnino reliquit. Et in eadem sic, orat. Tu autem (Basili) sacrum ac diuinum caput ex alto nos respice; & carnis stimulum, instructionem nostram à deo nobis datam, aut tuis siste precibus, aut fortiter me ferre persuade, totamquè

uitam nobis in melius permuta. Et in oratione.18.inuo- Greg.
cat Athanasium in decima nona Cyprianum. nazi.
Chrysostomus in missa inuocat michaelem cœlestis Chry.
militiæ principem, & .b.uirginem ac.b. Nicolaum.

Quapropter nemini ambigendum est esse hoc catholicum dogma de inuocatione sanctorum, de quo extant tot testimonia ex Græcis, & Latinis, modo quo diximus, & ostendimus, nihil detrahi gloriæ dei, uel dignitati, qua solus Christus mediator est, sine quo nihil possunt sancti & in quo omnia possunt.

Neq; tamen laudamus abusus, quibus distributa sunt uaria officia sanctis, gentium more, qui suis dijs diuiserunt imperia. Nec ijs patrocinamur, qui plebem fictis miraculis decipiunt, minus ijs, qui suæ facticiæ religionis sanctos (plusquàm par sit) exornant & fraudulentis histotijs & laudibus extollunt. Quo fit, ut schismata sæpius in populis suscitent. Huiusmodi impia sunt, & penitus emendanda.

Sed propterea pius sanctorum cultus seruandus est, ad excitandum torporem nostrum, qui usquè frigidi sumus, ut ubi sancti martyres tot tormenta paßi sunt, nos ne uerbulum quidem ullum subiniuriosum patiamur. Quare & sanctorum confeßorum & sacrarum uirginum nobis proponũtur exempla, ad imitationẽ, & excitandum affectũ, cùm dei dona in ipsis tanta fuisse cognoscimus. Quòd si qui, seculi amore feruntur, quandoque exclamare, ui naturæ coguntur, aliquando & eum

(etiam absentem) quem diligunt inuocant; quanto magis cogeretur cor nostrum ad sanctos interpellandos, si admirabiles dei uirtutes in eis diligeremus, uel si deum in ipsis operantem contemplaremur? Quia tunc deum in illis adoraremus, illos in deum laudaremus, & laudando inuocaremus. Desine ergo Hircine, ab hac quæstione, & noli esse blasphemus in sanctos.

Hirc. Sed in commemoratione cœnæ dominicæ non sunt referendi. Quid enim conuenit cum eis? Hoc ministerium ad solam memoriam Christi est institutum. Hoc (inquit) facite in meam commemorationem, & non dixit in commemorationem sanctorum; & tamen uester canon papisticus plenus est nominibus sanctorum, quasi & ipsi pro nobis passi sint & nos redemerint ab inferno peccato & morte.

Eusch. Nimis essem onerosus Hircine, si uniuersas implicitas & perplexas uestras hæreses coner redarguere, qui hoc in uestris paradoxis agitis, ut uoces uestras ipsi uos non intelligatis, nec quid uelitis claro sermone depromitis. Vos nempe hoc sacrum mysterium, synaxim mauultis uocari, quàm lyturgiam, quod lyturgia oblatio uel sacrificium sit. Synaxis uerò multorum communio. Deindè lyturgiam idest sacrificium, secatis in duas partes: in propiciatorium, & eucharisticum. Ideoqué uidemini admittere missam esse sacrificium eucharisticum, idest gratiarum actionis. Sed esse propiciatorium omnino negatis.

Quapropter missam dici Synaxim concessistis. Nunc uerò uestri obliti, quasi per somnium, omnia confunditis, & ut noua quædam admiranda dicere uideamini, hoc agitis ut non intelligamini, quoniam animum solum ad contradicendum catholicis intenditis. Quorum doctrina plana est, & in eo quod agit per se facilis, qui amplectuntur eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, & potentes sunt exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere. tit. 1.

Itaq; audi Hircine (si habes aures) Nos duas res in sacro mysterio offerri dicimus, unam quæ isthic uere continetur; quæ cùm offertur, illam nobis cruentam oblationem repræsentat, quæ semel per Christum in cruce facta est, & est tamen eadem ipsamet hostia, idem agnus. Altera res quæ à nobis offertur, in missa, totum corpus ecclesiæ Christi est, quod per sacramentum panis & uini repræsentatur, & in eo tamen res ipsa non continetur, sed tantum, eius unitas per elementa panis & uini exprimitur. Quæ ideò diuinitus sic sunt instituta, ut tantorum mysteriorum essent sacramenta, quoniam (ut inquit Augustinus.) Sicut ex multis granis fit unus panis, & ex multis racemis uinum confluit, & in unum ista rediguntur, ita per hæc, ecclesiæ unitas, in capite & membris significatur. Hinc sacramentum hoc dicitur uinculum pacis & unitatis, complectens omnes fideles. Aug.

Cum hæc ita se habeat, & omnino uera sint. Cur ais (Hircine) ad commemorationem sanctorum non conuenire hoc mysterium? Cum tu dicas esse synaxim idest multorum communionem, an uis, ab hac sancta communione sanctos præcludere, qui sunt præcipua corporis Christi membra? Qui sic ei coniuncti sunt, ut de sua sint communione securi? Quam ergo uocas communionem sanctorum, quam in symbolo profitemur? Num uis duas esse ecclesias? Vnam in cœlis, alteram in terris? Sicut ergo una tantum est ecclesia, cuius unicum est caput, Chrystus, ita una communio sanctorum, una societas Christi spiritu arctißima coniunctione adglutinata, Christi capitis, & membrorum inter se indissolubili uinculo adligata, & nexu diuini amoris sic unum effecta, ut inuicem sint solicita, & si patitur unum membrum, patiuntur & reliqua. Et si gaudeant, reliqua quoque gaudeant. Hanc societatem, hanc coniunctionem, hoc uinculum, hunc diuinum amorem connexuit, adligauit, glutinauit, & uniuit Christus ipse, quando hanc sibi desponsauit & coniunxit ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eā lauacro aquæ in uerbo uitæ, ut exiberet ipse sibi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta & immaculata. Quia & ipse lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Hoc mysterium totum in cruce actum est, in qua, & seipsum Christus obtulit, & totū corpus ecclesiæ, quia dubio procul

1.cor. 12. ephe.5 Apoc. 1.

eos

eos obtulit, pro quibus obtulit.

Quapropter ad ueram missæ, idest sacrificij rationem optimè exprimendam, oportuit sanctorum fieri cõmemorationem, quorum merita, quæ dei dona sunt, ad communionem Christi, & ecclesiæ pertinent. Quare impie detrahitur sacro canoni missæ, in quo Christi mysterium totum continetur, quod in cruce factum est, in qua Christus pro ecclesia offertur, & ecclesia per Christum; ut sicut Christus illud uerum est sacrificium propiciatorium iustitiam adferens nobis coram deo, ita uniuersa communio sanctorum sit sacrificium eucharisticum, idest gratiarum actionis & laudis, in odorem suauitatis.

Quòd pro defunctis in missa sit orandũ. Cap. 9.

NOn possumus adduci in eam opinionem, ut fieri debeat commemoratio sanctorum in cœna domini, quam uos dicitis missam, sed multomagis nos putamus superstitiosum & prorsus inutilè, quòd pro defunctis oratis, putantes eis prodesse ex opere operato, quod uos dicitis fieri in missa. Hæc inania somnia putamus, quia nullus pro alio mereri potest remißionẽ pœnæ & culpæ, sed nostris tantum aut subleuamur actibus, aut grauamur. Apostolus enim inquit, omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisquè propria corporis, pro ut geßit, siue bonũ, siue malum; et in Apocalipsi scribitur. Opera enim illorum se-

Hirc. (margin)
2. cor. 5. (margin)
Apoc. 14. (margin)

quuntur illos, quod dictum nos in uestris missis pro defunctis soletis legere, & adeò stupidi estis, ut non uideatis, contra id (quod facitis,) apertè pugnare.

eufeb. Ergòne hoc uos male habet quòd pro defunctis oramus in missa? Nonne pro uiuis ac mortuis, Christus obtulit sacrificium? Sicut ergo unica oblatione tam uiuos quàm mortuos ille redemit, ita nos quoque pro omnibus offerimus, si pro uiuis tantum fieret memoria, non idipsum nos faceremus quod ille fecit. Ideo pro uiuis & mortuis semper in missa sacrificium offerimus, ut illud ipsum esse sacrificium Christi monstremus, & ad ueram quoq; sinaxeos, idest communionis, rationem pertinet, ut pro defunctis oremus, quia etiam ipsi in ea communione sunt & bonorum eius participes. Igitur si memoriam facimus sanctorum, ut pro nobis orent, cùr non pro alijs defunctis memores erimus, ut pro eis oremus, cùm tanta celebramus mysteria, in quibus tota electorum societas commendatur? Neque ei quòd dicimus aduersa est apostoli sententia, quæ unicuiq; reddi pro ut in uita gesserit ueraciter affirmat. Omne enim meritum in hac uita comparatur, ut in altera poßit adiuuari. Proindè, qui uitam adeò impiam gesserunt, ut dei timorem à se penitus excluderent, neque eos suæ iniquitatis penituit, ijs uiuentium auxilia nihil prodesse poterunt. Atqui carnis infirmitate uel qui etiam maliciosè peccarunt, postea tamen ab errore conuersi dignos fructus penitentiæ egerunt, ij, certè meruc-

runt, ut uita etiam defunctis, suffragium præstaretur. Opera enim eos sequuntur, per quæ acquisierunt, ut eis ista prodesse possent, ut optime scribit Augustinus in enchiridio ad Laurentium, & in libro ad Paulinum de cura pro mortuis ferenda, & ad Dulcitium, sic ait, genere uitæ quod gessit, quisqué per corpus efficitur, ut prosint, uel non prosint, quæcunqué pro illo pié fiunt, cum reliquerit corpus. Et infra sic dicit. Vt enim hoc quod impenditur possit ei prodesse post corpus, in ea uita est acquisitum quam gessit in corpore. Aug. ca.110 ca.18. q.2.

Veruntamen, quòd defunctorum in sacro mysterio fiat commemoratio, apostolica traditio est, ut testantur Chrysostomus & Augustinus & reliqui patres; quorum paulo post in hoc libro citabimus sententias. Cæterum error fuit Aerij, qui negabat oblationes fieri pro defunctis. Hũc inter hæreticos annumerat Augustinus, in libro de hæresibus. chrys. Aug. Aug. c. 53.

Oblationes, quas antiqui pro defunctis faciebant, gratiarum actiones erant, non expiationes. Hirc.

Vos é uestro cerebro hæc confingitis, & redargui, (pro nimia impudentia) non ueremini. Cumq; in uestris sitis erroribus obstinati, nitimini omnia cõfundere, & uestro arbitrio, quascunqué uoces & nomina interpretamini, antiquorũ sensu peruertẽtes. In hac re tamen adeò patres manifestè loquũtur, ut admirandum sit, uos nõ erubescere, uestræ calũniæ. Quãdoquidẽ sole clarius euseb.

apparet, patres non modo gratias egisse pro defunctis, sed pro eis orasse, & pro peccatis eorum obtulisse. In
Aug. hæresi Aerij sic ait Augustinus, Aeriani ab Aerio
supra; quodam sunt, qui cũ esset presbiter, doluisse fertur, quòd episcopus non potuit ordinari, & in Arrianorum hæresim lapsus, propria quoq; dogmata addidisse nõnulla, dicens, orare, uel offerre pro mortuis oblationem non oportere. Hoc dicto Augustinus apertè asserit esse oran
Aug. dum, & esse offerendum sacrificiũ pro mortuis. Sed ma
lib. 9. gis expreßè habetur in eius libro confeßionum, ubi pro
ca. 13. sua matre sic orat. Ego nunc pro peccatis matris meæ, deprecor te, exaudi me, per medicinam uulnerũ nostrorum quæ pependit in ligno, & sedens ad dexterã tuam interpellat pro nobis. Et de Iuda machabeo clara est historia, quanquàm librum machabeorum ab ecclesia receptum, uestra authoritate reijcitis.

Hirc. Sed uos nõ modo oratis pro mortuis, sed missas quoq; celebratis, quas ualere dicitis in satisfactionem pro peccatis, ex opere operato.

eufeb. Admodùm nimis Batologus es: & ad Batologiã me inuitum cogis, ut ijsdem sæpe repetitis argutiolis sæpiùs respondeam. Proindè cùm asseramus, missam, esse sacrificiũ Christi, consequitur, ut sit satisfactio ex opere operato per Christũ. Et quia hoc totũ quod geritur in missa, est Christi institutum, requirit quidem fidem in operante, scilicet, in sacerdote apræhendente promißionẽ, & in eo iustitiam adfert, quæ fide inhæret.

Huic tamen rei nihil obstat, quin alijs applicetur, & sicut pro alijs orat, ita quoq; sacrificet, qui ideò sacerdos à Christo effectus est. Sicut ergo mosaicus sacerdos, ita pro suis & populi delictis, hostias offert. Quia omnis pontifex ex hominibus assumptus (inquit Apostolus) pro hominibus constituitur in ijs quæ sunt ad deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis. Itaque proprium est sacerdotiũ offerre pro peccatis & suis & alienis. Neque est sacerdos, si nihil habet, quod offerat, quia omnis pontifex ad offerendum munera & hostias constituitur. Quo fit, ut qui negant missam esse sacrificium, quod alijs applicetur ex opere operato per Christum, negent simul necesse est, omne sacerdotiũ, quod est ministerium primum in ecclesia. Vos uerò neruis omnibus hoc facere cõtenditis, sed frustra molimini, quia nunquàm erit ecclesia sine sacerdotio. Cùm autem dicimus, sacrificium missæ ex opere operato applicari, non ceremoniam ipsam dicimus, quæ merè opus est sacerdotis. Sed opus operatum uocamus ipsam Christi immolationem incruentam, quæ per ministerium sacerdotis fit, dum consecrat, & offert, ex Christi institutione. Quia non suum opus offert sacerdos, sed opus Christi, cuius fungitur ministerio.

heb. 7.
heb. 5.
heb. 8.

Ne perplexis morarum tendiculis protrahatur, hæc disputatio, breuibus promo, quod sentio. Sacerdotũ auaritia inuenit missam esse sacrificium expiatiuũ pro peccatis, & illud opus operatum, quod intelligi nõ potest. Hirc.

eufeb. Non ideò tecũ contendo, ut ſperẽ te poſſe cõuerti, ſed ne tibi ſapiens uidearis, uel ne te ſapientẽ putent homines. Nos oſtẽdimus eſſe Chriſti inſtitutũ, et nõ humanũ figmentũ, aut alioqui ſacerdotũ inuentũ. Vos nudis uerbis hoc aſſeritis quod dicitis, & cũ probationes exigimus, uel magis piſcibus, obmuteſcitis, aut pluſquã canes, præter rationem inaniter oblatratis. Si eſt ſacerdotum inuentum, dic (quæſo) quis primus inuenit? Oportuit ſane fuiſſe ante Auguſtinum & Chryſoſtomum, et reliquos patres, qui aſſerunt miſſam tale eſſe ſacrificium.

Hirc. Sed hac cauſa plures fiunt ſacrificuli, magis turpis lucri gratia, ut turpem uitã agant, & ocioſè dormiãt, quàm ut populis ſtudio bonæ conuerſationis ſeruiant, aut in doctrina moneant, uel prædicent ſacroſanctum Ieſu Chriſti euangelium.

euſeb. In odium ſacrificij Chriſti, quod in miſſa per ſacerdotes offertur, contumelioſè Chriſti miniſtros ſacrificulos uocas, & Chriſtus eſt, quem uos ſpernitis, qui ait. Qui

lu. 10. uos ſpernit, me ſpernit. Ideò ſuas ipſe blaſphemias adiudicabit. Qui (eorum gratia, quæ dicis) quærunt ſacerdotium, ut quietiùs ſtertant: ut in ocio uiuant: & ſuo aqualiculo impinguendo ſtudeant, & genio ſeruiant, ut nihil agant, undè aliquam poßint fideles fratres, utilitatem percipere, ij profectò non expendunt, quale onus ſit ſacerdotium, & quæ eos manet pœna, qui imperitè, & negligenter gregi Chriſti adminiſtrant. Itaque hos non laudamus, ſed graui ſupplicio dignos dicimus,

quia propter eos nomen domini blasphematur. Tamen *eos relinquimus à domino iudicandos*. *Tu qui es qui iudicas alienum seruum?* Domino *suo stat, aut cadit* (*inquit apostolus*.) Esa. c. 52. ro.14.

Sed interim tamen uendunt omnia sacramenta. Non *licet Christianum fieri nisi à parentibus offeratur pecunia, non absoluunt nisi numeres, non missant nisi numeres, non licet matrimonio coniungi; non ungunt nisi numeres*. Deniquè *baptismũ uendunt, missas, altaria Christum, & à mortuis quoq; exigunt tributa.* Hirc.

Scriptum est. Non *alligabis os boui trituranti*; & *qui altari seruiunt, his quæ de altari sunt uiuunt*; & *nemo militat suis stipendijs unquàm*. Et *ipse dominus*. *Dignus est* (*inquit*) *mercenarius mercede sua*. Proindè *debentur alimenta sacerdotibus, ministris uerbi dei*. *Qui enim benè præsunt presbiteri duplici honore habeantur, ne propter inopiam cogantur suã deserere uocationem*. Neq; *tamen laudamus eos, qui nimiũ impliciti sunt in diuitijs, & negotijs secularibus, habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus*. Itaq; *eos qui uendunt sacramenta, (uelut impios) damnamus*. *Christus enim ait, gratias accepistis, gratis date*, *Qui secus agunt, gezitas, & simoniacos uocamus.* euseb. leu.21 1.cor. 9. math. 10. 1. thi. 6. 1. thi. 5. 4.reg 5. act. 8.

Habet *ecclesia immensas diuitias: amplas possesssiones, opimos redditus*: *Quæ si ritè dispensarentur, nil esset causæ, nouis exactionibus plebem expilare, & grauare rempublicam, omnibus enim clericis*, Hirc.

(si plures etiam sint) abundè satis esset, unde uiuerent.

euseb. Habet ecclesia quoq; sua grauamina. Habet pauperes, quos alit. Habet infirmos, quibus ministrat. Habet captiuos, quos redimat. Habet turchas, quibus resistat. Habet hæreticos, quos impugnat. Videnturné tibi paruo admodum opprimi onere, qui tantis rebus obeundis subsunt? At uos, inuidetis sacrrdotibus tantas diuitias, atq; cupitis bona pauperum, ad priuatos usus redigi. Propterea tantas mouetis tragedias: & seditiones procuratis, ut tandem pro uestra libidine, omnia inuertere; peruertere; addere; truncare; cantare; recantare; susdeque inuoluere, & euoluere petulanter nimium, & arroganter, uestro iure poßitis.

Quòd ecclesia non modò doctrina, sed etiam ui cohercere potest hæreticos, & iudices seculares iustè animaduertunt in eos. Cap. 10.

Hirc. Sit obuiandum hæreticis, sed id fiat scripturis sacris, doctrina, eruditione: Aut si hæc non sufficiunt, excommunicatione, & præcisione ab ecclesia. Non armis; gladio; igne; uinculis; ferro; immanißimis tormentis; & aquarum subffocatione cogendi sunt, sicut crudeliter, heu, nimium facitis.

euseb. Vtrunq; habet ecclesia. Primùm scripturis & doctrina utitur ad uitam, monendo; docendo; exhortando. Quòd si, (hac spreta lenitate) obdurescunt heretici,

cogitur pia mater, pro reliquis seruandis filijs, degeneres subdititios, auxilio tādem seculari in eos animaduertere. Sic docet Augustinus, ad uincentium de ui corrigendis hæreticis; prius tamen instruendis. Si enim terrerentur (inquit) & non docerentur; improba quasi dominatio uideretur. Rursus si docerentur, & non terrerentur, uetustate consuetudinis obdurarentur; & ad capescendā uiam salutis pigrius mouerētur. Sic Aug. Itaq; ij qui paululum titubāt in doctrina fidei, benigne; & modeste, atque omni cum mansuetudine, tractandi sunt; & (ueluti errantes oues) ad caulam reducendi. Neque statim sunt extinguendi; enecandi, & crudelibus flammis comburendi. Quis enim pastor sic errantem ouem excipiat? Aut quæ pia mater labascentem filium allidat ad saxum & perimat? De Christo sic loquitur Esaias, quòd, calamum quassatum non conteret, & linū fumigans non extinguet. Cum his ergo pia eruditione, & suaui doctrina, agendum est quòd reliqua sit spes recipiscentiæ & conuersionis.

Aug. epist. 48.

Esa. 42.

At qui iam peruerso animo in errore cōfirmati sunt, & obdurati in malitia, cum eis non esse disputandum docet Apostolus dicens. Noli cōtendere uerbis, ad nihil enim utile est, nisi ad subuersionem audientiū. Rursum Titum monēs dicit; cōtentiones et pugnas legis deuita, sunt enim inutiles & uanæ. Et subiungit, hæreticum hominem, post unam & secūdam correptionem deuita, sciens quia subuersus est, qui eiusmodi est, & delinquit,

2. thi. 2.

Tit. 3.

ter.li. cum sit proprio iudicio condemnatus. Tertulianus post
de præ Paulum in libro; de præscriptionibus hæreticorum,
script. affirmat, cum hæreticis non esse disputandum; quo-
hære. niam nihil proficit congressio scripturarum, quia ali-
quas scripturas non recipiunt; aut si, quas recipiunt
adiectionibus, & detractionibus ad dispositionem sui
instituti, interuertunt; & si recipiunt, non recipiunt
integras, & si aliquatenus integras præstant; nihilo-
minus diuersas expositiones commentata conuertunt.
Hæc Tertulianus. Quo fit; ut hæretici, disputatione
non modò non redeant ad ecclesiam; sed pertinatiores
Ireñ. atque etiam obstinatiores redduntur. Hinc Ireneus, li-
lib. 1. bro primo aduersus hæreses, dicit hæreticos pati phre-
c. 3. nesim; qui quasi sani omnia agunt, rident, & ualere se
putant. Ita cùm sint erroribus pleni, putant se tueri ue-
ritatem. Propterea, oleum perdet & impensas, (ut dici
solet) qui se putauerit, hos à phantasticis, erroneisque
impreßionibus reuocare.

Hirc. Potestate clauium uti potest ecclesia, atq; huiusmodi
pertinaces (si qui sunt,) propellat à cœtu fratrũ, neque
cõmunem cum eis cibum sumant fideles, sicut faciendũ
1. cor. docet apostolus, & fornicantem ipse excõmunicauit, re-
5. deuntem uerò, cõfirmandam in eum esse charitatẽ præ-
2. cor. cepit: ne abundantiori tristitia absorberetur. Ideò arbi-
2. tror hæreticos, sola posse excommunicatione sanari.
eufeb. At nos experimento didicimus, eos magis exacer-
bari, & in furias conuerti. Nempè furiunt in pontifi-

ces, & minores, & summos. Censuras ecclesiæ nec pili faciunt. In suis immunditijs ambulant (ut inquit) Petrus) dominationemque contemnunt. Audaces, sibi placentes, sectas perditionis inducunt. Quare expedit eos (quorum nulla est spes conuersionis,) remitti iudici, qui non sine causa gladium portat, ut coerceantur, ac ne cæteros inficiant. Neque iustè possunt iudices seculi, crudelitatis insimulari, si in duros & obstinatos animaduertant. Audiant (quæso) quid dicat Augustinus, sermone primo, de bono disciplinæ. Multi (inquit) tibi nomen crudelitatis imponunt, ubi pro amore disciplinæ, crimen admißi sceleris supplicio uindicatur latronis, cùm sententia uindicantis iustis legibus seruiat, & non solum præsentibus, sed etiam futuris manum porrigat. Quis igitur non licitè crederet, se debere peccare, si impudicis & impijs actibus, iudex non præscriberet disciplinam? Videamus quid lex loquatur. Non occides, non adulterabis, non falsum testimonium dices, Hæ sunt disciplinæ legis, quibus etiam districtio sententiæ secularis obsequitur, impugnando turpia, resecando criminosa. Nam adijcit, scriptura, iudex non est uindex positus boni operis, sed mali.

2.pe.2

ro.13.

Aug. sermo. 338. de tẽ.

Exod. 20.

ro.13.

Eandem sententiam confirmat ad macedonium scribens, consulentem; An sit officium sacerdotij interuenire pro reis, & post multa sic ait. Nec ideò sanè frustra institutæ sunt potestates regis, uis gladij: cognitoris ungulæ: carnificis arma, militis disciplina, dominationis

epist. 54. Aug.

seueritas; etiam boni patris habent ista omnia, modos suos, causas, rationes, utilitates. Hæc cùm timentur, & coercentur mali, & quietiùs inter malos uiuunt boni. Non quia boni pronunciandi sunt, qui talia metuendo non peccant. Non enim bonus est, qui spiam timore pœnæ, sed amore iustitiæ. Veruntamen, non inutiliter, etiam metu legum, humana coercetur audatia, & ut tuta sit inter improbos innocentia; & in ipsis improbandis, dum formidato suplicio, frenetur facultas; inuocato deo, sanetur uoluntas. Sed huic ordinationi rerũ humanarum, contrariè non sunt intercessiones episcoporũ. Imo uerò, nec causa, nec locus intercedendi, ullus esset, si ista non essent. Tantò enim sunt intercedentium, & parcentium beneficia gratiora, quanto peccantium iustiora supplicia. Hæc Augustinus. Propterea gladio, igne, ferro, et grauibus tormentis, plectũtur hæretici, et iustè in eos (dum non speratur correctio) usum gladij exercent principes; & ad religionẽ tamen Christi pertinet, ut pro eis sacerdotes & episcopi intercedant.

Hirc. Nobis ista nõ placent, & scripturis sacris probari nõ possunt. Libera est enim fides, & nemo cogẽdus. Hæretici iudicio dei relinquendi sunt. Quia oportet hæreses esse, ut probentur electi. Ideoq; ecclesiæ prosunt.

Euseb. Haud mirum certè si non uobis ista probantur; quoniam nec sicarijs, nec adulteris, nec blasphemis, placẽt, uincula, ferrum, carceres tormenta. Vos liberè (laxatis habenis, sine ultricè disciplina,) uiuere cupitis; quasi

ex leges, qui fidei libertatem prædicatis. Neq; nouum est hoc tuum argumentum, sed ueterum hæreticorum, quo Gaudentius donatista usus est: sicut refert Augusti- Aug.
nus, libro secundo contra eius epistolam. Sic enim dice- ca.11.
bat ille. Scriptum est: Fecit deus hominem, & dimisit Eccle.
eum in manu arbitrij sui. Quid mihi nunc humano eri- 15.
pitur imperio, quod largitus est deus? Ad hæc respōdet obiect.
Augustinus. Secundum istas uestras fallacißimas, ua- Gau.
nißimasque rationes, (habenis laxatis, atque dimißis, rēsp̄o.
humanæ licentiæ) impunita peccata omnia relinque- Aug.
rentur; nullis oppositis repagulis legum, nocendi audacia, & lasciuiendi libido, bachetur. Non rex suum regnum, non dux militem, non prouincialem iudex, non dominus seruum, non maritus uxorem, nec pater filium, à libertate & suauitate peccandi, minis ullis, pœnisue compescat. Aufrte, quod sana doctrina, pro sanitate orbis terrarum sapienter per apostolum dicit; & (ut confirmetis in arbitrio suo peiore, quantum liberiore, filios perditionis) delete, quod ait uas electionis. Omnis ani- Ro.13
ma potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas, nisi à deo; & dei enim minister est, uindex in irā ei qui male agit. Delete ista si potestis; aut sicut ista facitis, si non potestis delere, contemnite. Habete de his omnibus peßimū arbitriū, ne perdatis liberū arbitrium. Aut certè, quia sicut homines hominibus erubescitis, clamate (si audetis) puniantur homicidia; puniantur adulteria, puniātur cætera quātalibet sceleris, siue libidinis

facinora, seu flagitia. Sola sacrilegia uolumus à regnātiū legibus impunita. Sequitur paulo post Augustinus.
Ironia in gaudenti. O dolor, fraudata sunt tali magisterio tēpora antiqua, quoniā nondum eras natus (scilicet tu gaudenti) quando sanctus Moyses iniurias suas, leuißimè pertulit, dei uerò seuerißimè uindicauit. Tu autem doctor hæretica præsumptione, inuidiosißime clamas. Fecit deus hominē & dimisit eum in manu consilij sui. Quid mihi nūc eripitur humano imperio. quod largitus est deus? Hoc uidelicet flagitans, ut ad faciendas iniurias deo, qui cum libero arbitrio fecit hominem, liberum arbitrium tibi relinquatur ab homine.

Post hæc concludit Augustinus suam responsionem dicens. Datum est ergo homini quandò creatus est, liberum arbitrium, sed ut si esset malefaciens, fieret patiens. Denique illi primi homines, cùm peccassent. morte damnati sunt; & priusquàm mors eis extrema corporis suppleretur, in exilium de paradiso mißi sunt. Quamuis igitur homini datum sit liberum arbitrium, non ideò tamen relinquendum est à regibus impunitum, dum flagitia & scelera committit in proximum. Quanto minus cùm per blasphemias peccat in deum? Quis dixerit sacrilegia, & blasphemias non esse puniēdas? Hæretici sacrilegi, & plusquàm blasphemi sunt. Qui non modo ipsi blasphemant, sed docent esse blasphemandum, quod est magis impium. Blasphemias docuit Arrius; docuit Sabellius; docuit Nestorius; docuit

Pelagius. Docetis & uos sacrilegi sacramenti Christi prophanatores. Qui ut omnia uobis liceant facinorum genera, dicitis, debere fidem liberam esse, & neminem, prædicatis esse cogendum. Qua in re erratis nimium, nescientes scripturas, neq; dei uirtutem, qui eos postmodum uolentes facit, dum coguntur inuiti.

Profectò penitentiam egerunt niniuitæ ad regis edictum. Quid enim opus erat regis imperio, ut in sacco et cinere clamarent ad dominum? Nempè in eis erant, qui nō credidissent Ionæ prædicāti, nec penitentiā egissent. Ionæ. 3.
Ad hoc ergo ualuit regis imperiū, ut qui sua spōte perijssent, edicto coacti, sponte et libero arbitrio saluarentur. Quid de patre familias dicemus, qui præcepit in uicos et plateas, homines cogēdos intrare ad nuptias? Qui cùm intrassent, procul dubio inuenerunt, undè se lætarentur intrasse. Nec ob hoc liberū cogitur arbitriū ad fidē. Sed quod liberè prius faciebat malū, externis flagellis et pœnis afflictus, liberè quod bonū est elligit & facit. Ad fidē (inquit Augustinus) libro secūdo cōtra litteras Petiliani, nullus est cogendus inuitus; sed per seueritatem, imo & per misericordiam dei tribulationum flagellis solet perfidia castigari. Nunquid quia mores optimi libertate uoluntatis eliguntur, ideo mores pessimi, non legis integritate puniuntur? Sed tamen male uiuendi ultrix disciplina, præpostera est, nisi cùm præcedens beneuiuendi doctrina contemnitur. Lu. 14. Aug. c. 83.

Si quæ ergo leges aduersus uos, constituæ sunt, non

eis bene facere cogimini, sed male facere prohibemini. Sicut ergo oportet hæreses esse, ut probentur electi,
math. *ita oportet leges esse, ut puniantur.* Necesse est *enim ut*
18. *ueniant scandala (ueritas ait) ueruntamen, ube homini illi per quem scandalum uenit.* Et prosunt *quidem*
Aug. *hæretici ecclesiæ (inquit* Augustinus*) libro de uera*
ca.8. *religione, non uerum docendo, quod nesciunt, sed ad uerum quærendum carnales, & ad uerum apperiendum, spirituales, catholicos excitando.* Hæretici *quærunt fideles à fide corrumpere, quos oportet in sana doctrina erudire; & ideo sicut præter intẽtionem ecclesiæ prosunt, ita necesse est, ut præter intentionem præssuris & debitis castigationibus arceantur.*

Nec *ulla diu posset respublica subsistere, nisi eos abijceret, uel grauiter puniret, qui de sua religiõe præter reliquos sentirent.* Quòd *de athemensibus liquet; qui* Protagoram, *uelut impiũ, suis finibus expulerunt, quòd diceret, non sibi esse notum, utrum aliquis esset deus. Socratem quoquè ad necem compulerũt; (quanquàm esset sapientissimus,) quia de sole & dijs cum cæteris nõ conueniebat, taceo de* Romanis, *qui quos uolebant, ponebãt in albo deorum, & nemo resistebat. Sed uos quoq;* Hæretici, *licet dicatis hæreticos dei iudicio relinquendos, tamen cùm uideatis, uestra dogmata non diu permansura, (nisi legum timore utamini) eis quoq; mulctam imponitis, qui de religione uobis aduersantur.* Quinimo
serue. *hoc anno gebennis, Ceruetum quendã peremistis, quod*

Macedonij errorē de ſpiritu ſancto reuocaret, ſic enim relatum eſt. Cur ergo non liceat in uos agere, qui omnes fermè hæreſes damnatas reuiuiſcere facitis? Quare Hircine ne nos arguas, qui ueſtræ reſiſtimus impietati, non ut occidamini, ſed ut corrigamini, ob has igitur cauſas, aurum habet eccleſia, ut poßit ſinceritatem ſeruare doctrinæ, quod alioqùi uix fieri poſſet. Et ita dominus, (conuerſis imperatoribus, qui diabolico furore perſequebantur fideles) has eccleſiæ dedit diuitias, quibus inuidetis, & auferre eas molimini, ne ueſtris impietatibus poßit reſiſtere.

Arguunt hæretici à malis moribus ad doctrinam, quod argumentum in efficax eſt. Cap. 11.

PEnè ab inſtituto deflexímus. Hæc fortaßis in aliud tempus differri poterant, ueruntamen (ut expediam) tantas habet diuitias eccleſia, ut nonmodò, quæ dicis Euſebi, facere poßit, ſed minima pars eſt eorum, quæ profunduntur in comedias; tragedias; locos; ludos; canes; aues; lenones; meretrices; ſplendidos cibos; opipera conuiuia; ueſtes; mulas. Atqué fidentes ſæpius pontifices in auro, tyrannos agunt. Belligerantur cum reliquis principibus Chriſtianis, obſident ciuitates; caſtra muniunt; populos grauant; pauperes opprimunt. Nihil diſcriminis uideas in curijs eorum ab ethnicorum principibus, mimos, & ſimias, & palpones nu- Hirc.

triunt. Blasphemant, detrahunt; scortantur, & obscena nephanda commitunt.

eufeb. Videris Hircine saepius diuertisse in curias pontificum, & admissus ad interiora uelaminis, omnia inuido oculo, perlustrasse, adeò singula narras. Proindè, si huic loco copiosè digesto et exagerato, debitè et pro merito respondeã, uereor, ne me quoq; crimineris, ecclesiae põtificibus adulari uoluisse. Veruntamen haec tua quae nimio furore produxisti, uitia hominũ sunt nõ rerũ. Neq; malum est, quòd ecclesia aurum habeat, sed auro, abuti malum est. Bonum aurum, & bonae diuitiae sunt, si ritè

1.Thi. dispensentur. Male utentibus exitio sunt. Omnis enim

4. creatura dei, bona est (inquit apostolus) si quis ea legitimè utatur. Non sunt damnandi pontifices (sicut nec reliqui mortales) quòd aurum habent, & possident, sed si inutiliter, ad usus malos expendunt. An putas uinum malum esse, quo homo inebriatur & furit? Non est culpa uini (inquit quidam) sed culpa bibentis.

Vobis germanis mos est omnino damnandus, quòd certatim bibitis, nequè priùs bibendi finem facitis, quàm quòd uno (uelut utres) pleni & madidi, huc illuc nutantes (quasi epilentici) impingitis & caditis. Cunquè ridentium & ouantium sociorum, manibus, uel muliercularum auxilio, leuamini, in stratum reiecti, (per diem & noctem, donec digeratur) dormitis & stertitis. Quid? Num ob rem hãc foedam omnino & sordidissimam, uinaria uasa conteritis, & dulcem liquorem

effunditis? An frondosas uites rescinditis? Absit. Nemo sanæ mentis, hoc dixerit unquàm faciendum. Manente uerò substantia, mali mores corrigendi sunt. Non omnes ebrij fiunt, nec omnes uino replẽtur. Alijs medicina est, alijs morbus. Vinum ergo bonum, & diuitiæ bonæ, & omnis creatura dei bona. Nihil damnandum quod à deo factum est ad usus hominum.

Propterea sunt pontifices quidã mali, (fateor,) qui inutiliter bona ecclesiæ (quæ sunt pauperum) liguriunt & turpiter nimium (ut dicis, Hircine) profundũt. Sunt rursus, qui utiliter et optimè dispensant, in pauperes, in studia, in prouehendis bonis literis, in uiros optimos, qui prosint reipublicæ christianæ; in restaurandis tẽplis deo dicatis; in sartatecta, in uasa sacra, & in reliqua, id genus, bona opera. Vos eos enumerare soletis, qui malè dispensant. Nec cogitatis, quòd plures cõmemorare possumus, qui uitã agunt optimam et inculpatã. Nolite igitur inuidi esse bonis ecclesiæ. Nam qui male utũtur, sunt deo rationem reddituri; nõmodo, qui aurum habent ecclesiæ, sed & qui paterna bona possidere dicuntur. Quod 2. Thi.
enim dicit apostolus, habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti simus; ex æquo pertinet ad omnes. 6.

Istud utcunq; fortasse, tollerari posset, quòd ecclesia Hirc.
aurũ habeat, et amplas possideat possessiões, sed interim Buc.
sacerdotes ignaui sunt & stupidi; ac (ut dicit Esaias) Esa.
speculatores cœci oẽs, nescierũt uniuersi, canes muti, nõ 56.
ualentes latrare, uidentes uana, dormiẽtes, et amantes

somnia, & canes impudentißimi, nescierunt saturitatem. Ipsi pastores ignorauerunt intelligentiam. Omnes in uiam suam declinauerunt, unusquisqué ad auaritiam suam, à summo usqué ad nouißimum. Hæc omnia quæ inuehitur propheta in sacerdotes iudæorum, in nostros etiam pontifices optimè quadrant; quos suis moribus pinxit. Cùm ergo mali sint, oportet eos redargui, qui uniuersas domos subuertunt, docentes quæ non oportet
Tit. 1. turpis lucri gratia. Nos nihil magis desideramus, quàm morum in ecclesia reformationem ac sincerioris uitæ, puriorisqué instituti resumptionem.

eușeb. Hic mos semper fuit hæreticorum, cùm se deuictos agnoscunt, ut ueritatis inopia, causam relinquere cogantur (ne prorsus putentur se nihil habere, quod dicant) quæcunqué possunt maledicta congerunt, quæ scripturis quoqué sacris communiunt, ne aliquid præter scripturas dicere uideantur. Nec cogitant, an ad se etiam pertineant, quæ in alios inuehuntur, & an aduersus eos grauiora sint in scripturis. Nempè quæcunqué de antichristo dicuntur, & de filio perditionis ad hæreticos congruunt, præsertim ad hos qui uiciniores sunt eius regno, cuius sunt prænuncij.
Nos certè inficiari non possumus, multa esse in ecclesia non omnino laudanda, multaq; à primatibus & pontificibus fieri debere, quæ non fiunt, præsertim, in diligendis ministris, ijs quibus cura uerbi dei committi solet, & n instituendis ad bonas litteras, publicis scolis & pri-

tatis, in catechizandis iunioribus & rudibus. In admi=*nistrandis sacramentis.* In cōferendis beneficijs. In diplo*matibus, in priuilegijs, in dispensandis bonis ecclesiæ; in tollendis maleficijs & incantationibus atq; diuinationi=bus, & reliquis superstitionibus ac malis moribus.* Hæc *& his similia in ecclesia reformationem requirunt.*

Hæc omnia sunt, quæ fieri semper optauimus. Res *uerò hæc, iuuari posset sacris* Christianorum *commitijs, hoc est uniuersali synodo.* Hirc. Buc.

Bona uerba Hircine; Serio ne loqueris? Quo minus *id fiat, in causa uos estis.* Quibus *tota ecclesiasticæ disci plinæ structura uilescit, oecumenica concilia spernitis.* Patrum *instituta ad mores spectantia inutilia & noxia prædicatis.* Vota *omnia damnatis; ieiunia reijcitis.* Pu=*blicas preces ridetis.* Vineam *domini, sicut aper de silua exterminatis, & sicut singularis ferus depascimini.* Vos *relinquentes sacram ecclesiæ politiam & diuinam mo=narchiam, oligarchiam omni confusione plenam, con=struxistis, ex lanistis, pannistis, cerdonibus, corriarijs, mangonibus, & id genus fæcibus (artes non damno, sed quod sibi arrogant, quæ ad se non pertinent,) qui in tōstrinis; pistrinis, furnis; uehiculis, nauibus; de præscien tia dei, de prædestinatione, de prouidentia dei, de abstru sissimis* Christi *mysterijs, fabulantur, arbitrantur, & iudicant, ut dicas ab orcho aut tripode apolinis ascen=disse, uel descendisse de cælo, ita confidenter & intre=pide (quæ non nouerunt) affirmant.* eußeb. Psal. 79.

Inter uos nullus ordinũ delectus, sed informe quoddã et inane chaos. Nullũ discrimen sacerdotis, et layci; docti et indocti; nobilis et plebei. Vt uerò omnẽ impietatis numerũ cõpleretis, oẽs christianos dicitis esse sacerdotes, nõmodò spirituales, qui se offerant in spiritu, sed qui Christi sacramẽta cõficiant et ministrent. Quare mulieres quoq; facitis sacerdotes. Quo nihil impudẽtius dici potest. Nulla enim gens Barbara, uel scythica, mulieres in tẽplis deorũ æditua̲s facit, nisi forte in sacris priapi. (Turpe dictu) me cogit uestra impudentia. Nun uos pudet uestræ insaniæ, qui nihil cũ decoro facitis? Quæ spes expectãda est uitæ sincerioris ex sacris cõmitijs et synodis, dum in hac hæresi permanetis, & nemini ceditis? Quinimo infima summis, & summa infimis per uestra importuna paradoxa miscere nitimini. Cur totũ perturbatis orbẽ? Omnem uexatis rempublicã? Cur tãtas infœlices cõmouistis tragedias?

Quædam memorant hæretici, quæ occasionem præstiterunt ad hæreses & eis respondetur. Cap. 12.

Hirc. AD hæc nos coegerũt sacrificulorũ uestrorũ imposturæ et fraudes, in fictis miraculis, in sanctorũ reliquijs necnon in abominãdo missæ commento sacrificio, quod uelint esse æquale sacrificio Christi, ut per ipsum obtineant remißionem peccatorum, & iustitiam coram deo. Hæc obscurant gloriam Christi, & hæc ferre non possumus, sed habemus reclamantem conscientiam.

Noui ego tuos ſcrupulos Hircine, qui diligẽter omnia perquiris, et es ſolicitus in peccatis enarrãdis. Sed interim nos anxijs ueſtris cõſcientijs ſalutarem medellã uolumus exhibere, quã ferre nõ uultis, et toto erratis cœlo, niſi in rectã uiam catholicorũ redeatis. Nempè quis unquàm catholicorũ fraudes et impoſturas approbauit? Sanctorum quippè reliquias in quibus deus nomen ſuum glorificari uoluit, honoramus. Ficta miracula reijcimus; quanquã ſcimus in ſignis, portentis et uirtutibus, prædicatũ in toto orbe euangeliũ. Scimuſquè meritis ſanctorũ facta eſſe miracula. Vel dũ uiuerent, ſicut in ueteri teſtamẽto legimus, de Ioſue, Gedeon et Ezechia. In nouo nõ expedit dicere; totus enim miraculis plenus eſt orbis in euãgelijs et actis apoſtolicis. Poſt apoſtolos plurima cõſtat fuiſſe miracula ſub martyribus, quæ ſi quis negauerit, ſtatim redargui poteſt miraculũ admittere, qui negat. Hoc eſt enim miraculũ miraculorũ. Quòd totus orbis ſub ſeuiſsimis imperatoribus innoxiũ ſanguinẽ effundentibus, crediderit, legito Aug. libro de ciuitate dei.

euſeb.
ro. 15.
heb. 2.
Ioſ. 20.
Iud. 6.
eſa. 38.

Igitur uiuentes in fidei teſtimonium plurima fecere miracula. Vita quoq; functi, hanc miraculorũ gratiam habuerunt, ueluti de ſepulchro & oſsibus Hæliſei legimus, de quibus miraculis ſic ſcribit Chryſoſtomus, in homilijs ad populũ antiochenũ. Oſſa ſanctorum hanc habẽt poteſtatem. Dæmones enim ſiſtunt, & torquent, et uinctos ab illis ſoluunt ſæuiſsimis uinclis. Et paulopoſt, & cinis & oſſa, & fauilla: (ſcilicet reliquiæ ſanctorum)

4. reg 13.
Chryſ. hom. 66.

inuisibiles illas dæmonum potestates dilaniant. Legito plura in ea homilia, de sepulchris sanctorum, ad quæ barbari etiam currebant, & filius constantini honore magno censuit haberi, si pro foribus piscatoris paternum corpus collocaret.

De reliquijs & sanctorum miraculis, sæpè memorant, Gregorius nazianzenus, Basilius, Damascenus, precipuè uerò Hieronymus contra uigilantium, & in
Aug. *secunda epistola ad Piperium presbiterum. Augustinus*
c.73. *in libro de ecclesiasticis dogmatibus sic ait, sanctorũ corpora, & precipuè beatorum martyrum reliquias, ac si Christi membra sincerißimè honorãda & basilicas, eorum nominibus appellatas, uelut loca sanctorum diuino cultui mãcipata, affectu pijßimo & deuotione fidelißima adeundas credimus. Si quis contra hanc sententiam uenerit, non christianus sed eunomianus & uigilantia-*
Aug. *nus creditur. Plura legito miracula ex Augustino, de*
22. *cœco illuminato; de podagro sanato; de miraculis ad*
de ci. *memoriam beati Stephani, & sanctorum Geruasij &*
dei. *Prothasij. Quare haud est dubium, miracula fieri per*
ca.8. *sanctorum reliquias.*
ca.9. *Quod dicis de sacrificio missæ, sæpius respõdi, et iterum repeto, sacramenta esse diuinæ bonitatis instrumenta, & conferre remißionem peccatorũ. Virtute, nõ sua, sed paßiõis Christi. Baptismus enim in paruulis efficax est ad salutem ex sola institutione Christi, nullumq́ requirit motũ uoluntatis in paruulo. Eucharistiam si quis*

in fide suscipiat, consequitur iustitiam nō ex opere operato per sacerdotem, sed per Christum in cruce. Missa *uerò cui applicatur per sacerdotem, prodest per modum oblati sacrificij deo grati & per modum suffragij.* Neq; *obscurat gloriam Christi, sed clarificat & manifestat, non minus quàm quòd uoluit Christus suos discipulos plura & maiora miracula facere, quàm ipse fecerit.* Cu- act. 5. *ius umbra non legitur quenquàm sanasse, nec semicin-* act. 18 *tia, sicut de* Petro & Paulo *legimus.* Hæc *omnia clarificant gloriā Christi, cuius uirtute omnia fiunt.* Non *est igitur quod timeatis in uestris cauteriatis conscientijs.*

Damnamus *simul atq; impiam superstitionem uulgo* Hirc. *audientium missam, qui ubi aspexerint sacramenta et his corpore exhibuerint reuerentiam, demurmurauerint,* Buc. *quæ suas preculas, functos se omni religione & cultu dei arbitrantur.* Tuncq; *putant deum omnia mala auersurum, ut non cœci fiant eo die, nec subito moriantur, nec incidāt in latrones, sed daturum deum optatum rerum quarumlibet successum.*

Non *omnia damnamus quæ tu dicis* Hircine, *sed uera* euseb. *quandoq; profiteris, sicut reliqui complures, qui à catholicis ob leuißimas causas desciuerunt, cùm sibijpsis nimium placerent, & imbecilitatem infirmorū sustinere negligerent, quod damnat apostolus.* Quare *cū mo-* ro. 15. *destia docendus est populus, non tanto supercilio aut biliosо stomacho reijciēdus.* Si *praua sunt aliquorū studia, in melius reformari debent ad pietatem.* Qui *ea inten-*

tione intersunt sacris, ut obtineant bona temporalia, ut non incidant corporis incommoda, & reliqua id genus, certè superstitiosi sunt. Et qui sic populo prædicant, seuerè sunt redarguendi, quia temere agũt, & Christi sacramenta ridenda proponunt. Sæpius nempè dei iudicio secus euenit quàm prædicant, ut in latrones incidat, qui missam audiuit, & qui non audiuit securus euadat. Nequè enim bona huius seculi promisit deus suis electis, & ijs qui sacris intersunt, sed contra magis, suos uult ferre crucem & mundi huius incommoda. De hac re scripsit Iohannes Gerson. Itaquè paucorum culpa non præiudicat religioni, ut inquit Hieronymus contra uigilantium. Docendi sunt simplices, ut memores sint beneficiorum dei, & præsertim Christi passionis, mortis, & resurrectionis; deprecenturquè ueniam, & remißionem peccatorum, quam consequi sperent, fidentes soli morti Christi. Nec suis meritis quicquàm confidant. Deniquè discant crucem Chisti patienter pati, iniurias tollerare, & bonis operibus præesse, ut non sint infructuosi. Non igitur sunt redarguendi ab auditione missæ, sed instruendi quomodo aßistere debeant. Et sacer sacrificandi ritus, non debet aboleri (quod uos impiè tentatis facere) sed conseruari in ecclesia. Nullum uitium in missa est, sed est sacrosancta Christi institutio, (quòd attinet ad præcipuam missæ partem) quæ est consecratio. Reliqua etiam omnia quæ in toto missæ contextu posita sunt, ad piam

Gerson par. 4

Hier.

Tit. 3.

eruditionem fidelium pertinent, adeò, ut nihil nõ pium, uenerandum, & sacrosanctum contineat. Si quod uicio- sum in hominibus est, maneat quod bonum est, auferatur malum de medio nostrum. 1. Cor. 5.

Hirc. *Quid toties missam uocas sacrificium, & dicis rem bonam, quæ est ipsißima impietas, uanus cultus, & ido- lolatria, ab initio in finem usquè falsa refertens, & su- perstitione plena? in qua est, (qui dicitur (canon, tan- quàm præcipuum missæ caput, refertus execrandis, blasphemijs. Quòd illic pro mortuis, qui purgatorio igne torquentur, preces fiunt, quas scimus omnino esse inutiles. Sequitur deindè, idololatria, quæ omnem impietatem superat. Nam honorem soli deo debitum, ad creaturas transferunt, & Christi corpus adorant, uel panis frustulum pro deo (quod est magis impium) nec iam censetur panis, sed deus ipse. Hunccinè ho- norem deo patri habemus? Hanccinè gratiam re- pendimus Christo redemptori, ut cùm uideamus talem utriquè contumeliam irrogari, non modo non reclame- mus, sed potius adiungamus nos socios ad tantum ne- phas, & (quod peius est) alios, ut id faciant indu- cimus, nostro exemplo? Nos hæc omnia abhorremus maximè.*

Eusеb. *Hactenus maliciam tuam, Hircine uerborum stro- phis, & concinnatis inuolucris, contegisti. Nunc iacula ignea ex pharetra emisisti, tui perfidi cordis, et uomicã immundißimi tui fœtoris detegisti. Apertoquè martè*

prodidisti, te esse Christi inimicum. Hinc *apparet te nō esse Christianum, qui Christo diuinum, non defers honorem.* Hoc *est certè quod primum præfatus sum.* Moliri *uos ut in arrianam impietatem, & maumethicam superstitionem pertrahatis fideles.* Illi *negant Christum esse deum; quod totius Christianæ philosophiæ scopus est & summa.* Hoc *& uos negatis, qui Christum prædicatis non esse adorandum.* Sed *quàm fallax & impium sit hoc uestrum dogma, cum reliquis quæ abhorretis, statim ostendemus.* Sed *nunc diuinas & patrum sententias colligamus, ad probadum missæ sacrificium, quod pro uiuis ac mortuis offertur in remißionem peccatorum,* Denique *reasumptis uiribus, Christum uerum deum in sacramento adorandum inuictißimis argumētis & catholicis assertionibus demonstrabimus.* Sed *abi* Hircine *cum tuo istoc fœtore.* Rem *enim absurdam prorsus fecero, si mulgere hircum uoluero.* Vos *audite fideles, & uerum Christi sacrificium in missa suscipite.*

Quod Malachias & Daniel loquantur de sacrificio Missæ. Cap. 13.

HVius *sacrificij institutio non est fallax sacerdotū inuentum, sicut per calumniam iactant hæretici, sed est dei optimi institutum, & ab æterno decretum, sicut per prophetas suos locutus est dominus.*

Istuc primum testatur, in Malachia propheta, ubi

sic ait. Non est mihi uoluntas in uobis dicit dominus Mala.
exercituum, & munus non suscipiam de manu uestra. 1.
Ab ortu enim solis, usqué ad occasum magnum est nomen meum in gentibus; & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo, oblatio munda, quia magnũ est nomen meum in gentibus, dicit dominus exercituum.

Hoc dictum prophetæ in alium sensum detorquere conantur hæretici, ut de sola prædicatione euãgelij intelligatur, sub quo omnes credentes sunt sacerdotes, qui spirituales hostias & seipsos offerant. Veruntamen nõ fuit, hic primus, huius prophetæ sensus; qui qualis sit, (Si quid agat perspiciamus) aperte monstratur. Agit enim de reprobatione & reiectione Iudæorum, & electione gentiũ. Propterea annunciat propheta quæ uentura erant contra sacerdotes iudæorum, quorum uota & sacrificia, futura erãt odiosa, & deo ingrata. Quorum loco, gentes erant substituendæ, quæ offerrent per sacerdotes alios, munera & sacrificia, per uniuersum orbem, deo maximé grata. Ideoq; testatur dominus in eodem propheta, se purgaturum filios leui, sacerdos no Mala.
ui testamenti. Sic enim ait. Ipse enim quasi ignis cõflans 3.
& quasi herba fulonum, sedebit conflans, & emundans argentum, & purgabit filios leui, & colabit eos, quasi aurum & quasi argentum; & erunt domino offerentes sacrificium in iustitia. In ijs prophetæ uerbis, sicut fit discrimen sacerdotum, iudæorũ, & gentium, ita fit ipsorum quoqué sacrificiorum comparatio. Nempé in omni

religione oportet distinctos esse ordines, ut scilicet alij layci sint, alij sacerdotes; ut illi quæ temporalia sunt curent, isti uerò diuina & sacra ministrent. Nouos sacerdotes Christus instituit (ut sæpe dictum est) quibus ministrandi sui corporis & sanguinis potestatem tribuit, utque offerrent eam hostiam & deo acceptabilem concessit, quod est sacrificium in iustitia.

Aug. Hoc dictum malachiæ citat Augustinus libro contra iudeos, & ad mensam domini in qua fit sacrificium exponi significat; ubi ait. Aut certè sic in alijs uocata (plebs scilicet Iacob) in alijs dimissa, ut nulla facta separatione mensæ dominicæ ad Christi sacrificium pertineant.

In hanc nostram sententiam adducit hunc prophetã Ireñ. Ireneus libro quarto aduersus hæreses, dicens. Christus c.31. suis discipulis dans consiliũ primitias deo offerre, ex suis creaturis, nõ quasi indigenti, sed ut ipsi nec in fructuosi, nec ingrati sint, eum qui ex creatura panis est accepit, & gratias egit dicens. Hoc est corpus meum; & calicem similiter, qui est ex ea creatura, quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est, & noui testamenti, nouam docuit oblationem; quam ecclesia ab apostolis accipiens, in uniuerso mundo offert deo. Ei qui alimenta nobis præstat primitias suorum munerum in nouo testamento; de quo in duodecim prophetis, malachias sic præfigurauit. Non est mihi uoluntas in uobis, dicit dominus: & cetera quæ sequuntur.

Idem eo libro, ecclesiæ (inquit) oblatio quam domi= Ireñ.
nus docuit offerri in uniuerso mundo, purum sacrificium c.35.
reputatum est apud deum, & acceptum est ei, non quòd
à nobis indigeat sacrificium, sed quoniam is qui offert,
glorificatur ipse in eo quod offert.

De eadem prophetia iterum loquitur Augustinus, Aug.
libro decimoctauo de ciuitate dei, sic dicens. Malachias c.35.
prophetans ecclesiam, quam per Christũ iam cernimus
propagatam, iudæis ex personæ dei apertissimè dicit,
Non est mihi uoluntas in uobis, & munus non suscipiam
de manu uestra. Ab ortu enim solis usquè ad occasum,
magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco
sacrificabitur, & offeretur nomini meo oblatio mun=
da, quia magnum nomen meum in gentibus dicit do=
minus. Hoc sacrificium per sacerdotium Christi secun=
dum ordinem melchisedech, cùm in omni loco à solis or=
tu usquè ad occasum deo iam uideamus offerri, sacri=
ficium autem iudæorum, quibus dictum est, non est
mihi uoluntas in uobis, nec accipiam de manibus uestris
munus, cessasse, negare non possunt. Quid adhuc aspe=
ctant alium Christum?

Daniel futura tempora Antichristi diuinans, duo di= daniel.
cit auferendum scilicet iuge sacrificium, & ponendam 12.
abominationem desolationis. Sic enim ait. Quasi ignis
probabuntur multi, & impiè agent impij, neq; intelli=
gent omnes impij. Porrò docti intelligent, et à tempore
cùm ablatum fuerit iuge sacrificium, & posita fuerit

abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta. Beatus qui expectat & peruenit usque ad dies mille trecentos triginta quinque. Hanc prophetiam testatur Christus adimplendam esse temporibus Antichristi. Et
Aug. Augustinus pro parte eam declarat, libro uigesimo de
c.33. ciuitate dei. Quare ad ea tempora accommodanda est. Propterea, quoniam dicit doctos intellecturos, non impios, sacrosanctæ ecclesiæ doctores à patre cœlesti per spiritum sanctum edocti, intelligunt eam esse abominationem desolationis; propter quam hæretici à fide catholica defecerunt scindentes ecclesiæ unitatem, quæ nullo unquam tempore in tot sectas diuisa est, quàm iis nostris confusissimis temporibus, quibus permissum est unicuique sectam erroris facere. Quod manifestè patet in pluribus ciuitatibus germaniæ, ut penè tot sint hæreses quot ciuitates & oppida. Isthic uideas Anabatistas ciuitatis domini perturbatores, qui cùm solo spiritu ducantur (ut iactant) omnes negant scripturas, & nephanda committunt, diuisi etiam, nec eadem omnes sentientes, quia non omnibus unus adest spiritus, & suo spiritu quisque uiuit. Isthic sunt lutherani semper discentes, & sequentibus sententijs, sæpius priora retractantes. Post hos uideas Zuinglianos, uim omnem sacramentorum Christi prophanantes. Huius discipuli non omnia quidem probant, quæ dixit impius, quidam plura magis impia, commentantur. Isthic sunt sabbatini quoque (ut audio) iudaizantes. Sunt saducei, immortalitatem negantes. Sunt

& in

& in alijs regionibus tot diuisiones & sectæ, ut fermè nullum sit regnum, nulla ciuitas, nulla domus, in quibus de religione nullum sit dißidium, & omnes tamen hæreses, quamuis inter sese diuisæ sint, ad auferendū tamen iuge sacrificium de ecclesia, uno animo conspirarunt. Quod est sacrosanctum mysterium eucharistiæ. Quod tollendū prædixit Daniel. Quare, si erat tollendū, oportuit primum esse. Alioqui dicant hæretici, quod illud sit iuge sacrificium, quod auferendum erat tempore Antichristi. Nullum quippe aliud agnoscit ecclesia iuge sacrificium nisi eam oblationem, quæ quotidiè perficitur in ecclesia, in sacramento eucharistiæ.

De hoc iugi sacrificio sic ait Pascasius, Iteratur quotidiè hæc oblatio, licet Christus semel passus in carne, per unam eandemq; mortis paßionem semel saluauerit mundū. Et paulo post. Quia quotidiè labimur, quotidie Christus mysticè pro nobis, immolatur, ut qui semel moriendo mortem uicerat, quotidiè recidiua delictorū, per hæc sacramenta corporis & sanguinis peccata relaxet. De cō dist. 2. c. iteratur.

Cyprianus in sermone de cœna domini, perpes est (inquit) hoc sacrificium, & semper permanens holocaustum. Nulla, panem hunc multitudo consumit. Nulla antiquitate ueterascit. Cypri.

Idem libro epistolarum secundo. Nam si Iesus Christus ait, Dominus & deus noster, ipse est summus sacerdos dei patris, & sacrificiū deo patri ipse primus obtulit. Et hoc fieri in sui commemorationem præcepit. epist. 3

Vtiqué ille sacerdos uice Christi, uerè fungitur, qui id quod Christus fecit imitatur. Et sacrificium uerum, & plenum, tunc offert, in ecclesia, deo patri, si sic incipiat offerre, secundum quòd ipsum uideat obtulisse. Sic Cyprianus. Quare intelligant hæretici, non esse mendacium, neque humanum sacerdotum inuentum, quod dicatur missa esse sacrificium. Testatur enim Cyprianus, Christum præcepisse apostolis & cæteris sacerdotibus, hoc esse faciendũ quod ipse fecerat. Et quia ipse primus obtulit, ipse quoque offerre præcepit. Contra aduersarios, qui dicunt, nusquàm præcepisse dominum, ut offerrent, sed ut solum manducarent. Hoc igitur est iuge illud sacrificium à daniele prædictum, quòd auferre conantur præcursores Antichristi.

Quid regius propheta uiderit de hoc mysterio, in figura Melchisedech. Cap. 14.

David huius sacrificij figuram gessisse, Melchisedech apertè ostendit, cùm ait, tu es sacerdos in
psal. 109. æternum, secundum ordinem Melchisedech. Augustinus
Aug. super psalmis, hunc locum leuiter attingit in fine uersiculi dicens, fidelibus loquor: si quid non intelligũt cathecumini, auferant pigritiam, festinent ad notitiam. Non ergo opus est mysteria promere; scripturæ uobis intiment, quid est sacerdotium, secundum ordinem melchisedech. Sic Augustinus.
Aug. Qui in psalmo centesimo sexto,

super uersu posuit desertum in stagna aquarum, sic ait. Quæris enim sacerdotem & sacrificium apud Iudæos, & non inuenis, non habes secundum ordinem Aaron, quia posuit flumina in desertum. Quæris secundum ordinem Melchisedech? Apud illos non inuenis, sed per totum orbem celebratur in ecclesia. Sic ille. Nonne ijs uerbis Augustini demonstratur, oportere esse sacerdotium in nouo testamento, in quo offeratur secundum ordinem Melchisedech? Sed audite eũdem, quid dicat libro sextodecimo de ciuitate dei. Aug. c. 22.

Cum Melchisedech (inquit) Abrahæ benediceret, ibi primum apparuit sacrificium, quod nunc à Christianis offertur deo, toto orbe terrarum, impleturq; illud, quod longe post hoc factum, per prophetam dicitur ad Christum, qui fuerat uenturus in carnem: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Non scilicet, secundũ ordinẽ Aaron, qui ordo fuerat auferendus, illucescentibus rebus, quæ illis umbris prænotabantur.

Idem libro decimoseptimo de ciuitate dei. Deinde (inquit.) Quod paulo post dicit. Iurauit dominus & nõ pœnitebit eum, quibus uerbis immortalem futurum esse significat, quod adiungitur: Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech, ex eo quod iam nusquam est, sacerdotium & sacrificium secundum ordinem Aaron: & ubique offertur sub sacerdote Christo: quod protulit Melchisedech, quãdo benedixit Abrahã. Quis ambigere permittitur, de quo & ista dicantur? Aug. c. 17.

Ad hæc itaque manifesta referuntur; quæ paulo obscurius in eodem psalmo posita sunt. Quæ quomodo recte intelligantur in nostris iam popularibus sermonibus notum fecimus.

Aug. Idem sermone de tempore centesimo quinquagesimo: iste est (inquit) agnus, qui simul uictima, & sacerdos, omnem ueteris sacerdotij, & sacrificij umbram, clara luce reuelanda, figuris & enigmatibus finem imposuit. Nouo autem ecclesiæ populo, nouum sacerdotium & nouum sacrificium initiauit. Sic Augustinus.

Hiero. Hieronymus ad euagrium, epistola quæ incipit, misisti uolumen: sic ait. Melchisedech, eò quòd Chananæus fuerit, & non de genere iudæorum: in typum præcessit sacerdotis filij dei, de quo dicitur in centesimo nono psalmo: tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Ordinem autem eius multis modis interpretantur; quòd solus: & rex fuerit: & sacerdos: et ante circuncisionem functus sacerdotio: ut non gentes ex iudæis, sed iudæi à gentibus sacerdotium acceperint. Neque unctus oleo sacerdotali, (ut mosi præcepta cōstituunt) sed oleo exultationis, & fidei puritate. Neq; carnis & sanguinis uictimas immolauerit, & brutorū sanguinem, eorum animalium exta idest est, quicquid super escam est susceperit: sed pane & uino simplici, puroque sacrificio Christi dedicauit sacramentum.

eufeb. c. 3. Eusebius, libro quinto de demōstratione euangelica: sic infit. Nam quemadmodum ille, qui sacerdos gentium

erat, nusquã uidetur sacrificijs corporalibus functus: sed uino solo: & pane, dùm ipsi Abrahæ benedixit, ita sanè primus ipse saluator, ac dominus noster, deindè qui ab ipso profecti sunt sacerdotes, in omnibus gentibus, spirituale, secundum ecclesiasticas sanctiones, sacerdotij munus obeuntes, uino ac pane, & corporis illius, & salutaris sanguinis mysteria representant. Quæ sanè mysteria, Melchisedech tanto ante spiritu diuino cognouerat: & rerum diuinarum imaginibus usus fuerat: sicut etiã mosi scriptura testatur: ubi ait. Et Melchisedeth rex Gen. salem protulit panem & uinum: erat autem sacerdos 14. dei altißimi.

Horum catholicorũ, Augustini: Hieronymi: & Eusebij, testimonio, & authoritate, omnino perit suffugiũ Sac. hæreticorum, qui respondere solent, exemplum Melchisedech nihil ad causam hanc facere: neq; quicquàm probare. Esto (inquiunt) obtulerit Melchisedech panem & obiect. uinum, lasso exercitui Abrahæ: regum id munus fuit: quo refecit, fame præssa corpora. Et hæc tantum liberalitas regalis fuit, non de proprio sacerdotis officio. Hæc est lubrica fuga, quam aduersarij de Iosepho tulerunt: qui multa xenia Abrahæ, Melchisedech detulisse fatetur. Sed nõ effugient uulpes qui iudæo magis adherere uolunt interpreti, quàm catholicis doctoribus. Qui non ad cibũ, sed ad sacrificium obtulisse corã deo, omnes concordant: & textus ipse scripturæ cogit Cur enim huiusce oblationis panis & uini, causam adijecit rũsio.

Moyses dicens: erat enim sacerdos dei altißimi? Profe-
ctò, uana prorsus & inutilis esset apposita, nisi de obla-
tione quæ fit deo, & quæ ad dignitatem pertinet sacer-
dotij (cuius est sacrificium offerre) intelligeretur.

obiect. Her. Hac deuicti ratione molesti cyniphes, reclamãt: re-
petũtq; dicẽtes. Esto Melchisedech, obtulerit sacrificia,
aut sacrificauerit panem & uinum: idem fecerit et Chri-
stus, tamen nõ quadrabit exemplum, ad nostros sacrifi-
culos, qui non sunt, neq; Melchisedech, neq; Christus nõ
sunt æterni sacerdotes, qualis est Christus, iuxta illud
psalmi. Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem
Melchisedech. Item (inquiunt) non habent mandatum
de suo sacrificio, sed ut edant, & bibant: edere autem
& bibere non est sacrificare.

rñsio. cath. Ro.8. Hæc inania sunt figmenta, quibus sine labore respon-
demus. Nempe eorum ministri, qui omnes hæretici sunt,
neq; Melchisedech, neq; Christus sunt: qui Christi spiri-
tum non habent: sed beluæ sunt, & monstra horrenda.
Nostri uerò sacerdotes, (quos contẽptim sacrificulos uo-
cant) dum agũt, quod Christus egit, in sacro mysterio: et
administrãdis reliquis sacramẽtis: quæ Christus instituit:
nõ iã sunt Melchisedech, qui in figura præceßit: sed sunt
Christus, qui sacerdos permanet in æternum. Nihil enim
prohibet, quin eius nomine minister appellari poßit, cu-
ius agit ministeriũ. Quoties in scripturis angeli suo dei
ge.81. nomine appellantur? Veluti uiri tres qui apparuerunt
exo.22 Abrahæ, angeli erãt, et diuinũ tamen suscipiũt honorẽ.

Nonne moyses dictus est deus? Ecce (inquit) cõstitui te deũ pharaonis. Et cũ de magistratibus loquitur scriptura, sæpe uocat deos. Vt in psalmo, ego dixi dij estis et in psal. 81.
exodo, si latet fur: dñs domus applicabitur ad deos & rursum dijs nõ detrahes, hoc est magistratibus. Si igitur exo. 22.
scriptura hos uocat deos, quibus terrenã rẽpublicã cõmisit administrandã: & tenuẽ tantũ imaginẽ diuini numinis tenent, et nõ potest (inquit Christus) solui scriptura: Io. 10.
quos ipse Christus sanctificauit, & spiritu sancto unxit, et quibus ligãdi et soluẽdi potestatẽ dedit, et quibus solis (uelitis, nolitis) sacra faciẽdi et offerendi corpus et sanguinẽ suũ tradita est potestas, ne putaueritis esse blasphemos, si dixerimus esse eos Christum, qui eius ineffabile exercẽt ministeriũ in ecclesia: quod uos impij cõtẽnitis,

Chrysostomus libro tertio de dignitate sacerdotali cõtra uos sic scribit. Neq; enim aliud quàm furor uocandus est. (Audite furiosi) contemnere illud ministeriũ: sine quo nobis nec salus, nec ea bona, quæ sunt promissa redduntur. Nemo enim ualebit ingredi in regnum cœlorum, nisi ex aqua renatus & spiritu, & qui non manducat carnem domini, nec bibit eius sanguinem, non habebit uitam æternam. Quæ per nullius alterius, quàm sanctis efficiuntur manibus sacerdotum. Audite phrenetici. Chrysostomum dicentem. Hæc sacrosancta mysteria per nullius effici manus nisi sacerdotum. Quòd dicitis nullum nos habere mandatum de sacrificando, falsum esse ex Cypriano paulo ante ostendimus. Chry. c. 5.

Non esse aliud sacrificium quod fit per sacerdotes quàm quod fecit Christus probatur ex Chrysostomo qui sæpè de hoc mysterio loquitur. Cap. 15.

Chry. *CHrysostomus, homilia septima ad Hebræos. Nonne (inquit) per singulos dies offerimus (offerimus quidem, sed ad recordationem facientes mortis eius, & una est hæc hostia & non multæ. Quomodo una est & non multæ? Et quia semel oblata est illa in sancta sanctorum: hoc autem sacrificium exemplar est illius, idipsum semper offerimus. Nec nunc quidem aliũ agnũ, crastina alium, sed semper idipsum. Proinde unum est hoc sacrificium. Alioquin hac ratione, quoniam in multis locis offertur, multi Christi sunt? Nequaquàm. Sed unus ubiquè est Christus: & hic plenus existens, & illic plenus, unum corpus. Sicut enim qui ubiquè offertur, unum corpus est, & non multa corpora, sic etiam & unum sacrificium.*

Chry. *Idem homilia quinta primæ ad timotheum capite primo. Tempestiuum accedendi tempus (scilicet ad communionẽ) munditia conscientiæ faciat. Nihil habet amplius, quod in pascha consumatur mysterium, eo quod continuo celebratur. Vnum, quippè atquè idem est, eadem est sancti spiritus gratia: semper pascha est. Nostis profecto qui initiati estis: id quod dicimus, siue sexta feria, siue sabato, siue dominica die, siue in celebritate martyrum, eadem litatur hostia; idem sacrificium consu-*

matur. Nulla obseruatione temporis, sacrificium circumscribere uoluit.

Idem de hoc sacrificio loquitur libro tertio de dignitate sacerdotali dicens. Verum, si quis ea quæ sunt in gratiæ ordinatione cōsideret, parua esse, illa quæ præcesserunt (scilicet in ueteri testamento) terribilia iudicabit. Quodqué de lege pronunciatum est, etiam per hæc uerum probabit, quoniam non sit glorificatum, id quod glorificandum fuerat, propter excellentem claritatem. Nam cum immolatum dominum nostrum, & incenso adstantem uideris sacerdotem, atq; imprecantem, omnesqué pariter precioso imbui sanguine: adhuc te esse cum hominibus arbitraris? & nō cōtinuo animo translatus in cœlos: omnemq; de mente sensum carnis excludens, nuda anima, sensuqué mundissimo ea quæ sunt in cœlestibus contueris? ô miraculum? ô dei in nobis beneuolentia? Qui sursum sedet ad dexteram patris sacrificij tamen tempore, hominum manibus continetur: traditurqué lambere cupientibus eum: & cum ueneratione complecti. Fitq; hoc totum sub oculis humanis. Et in fine capitis, ita concludit. Hoc igitur mysterium, ita reuerendum quæ despicere audebit insania? An nescis quoniam humana natura, nunquàm in ignem talis hostiæ sufficeret, sed tota funditus interiret, nisi magnum gratiæ dei esset auxilium? Chry. ca. 4.

Idem capite sequenti. Quæ potest inueniri maior potestas? omne iudicium dedit pater filio: At uideo hoc à Chry. c. 5.

Iohā. filio totum sacerdotibus esse commissum. Qui hos despi-
nu.16 ciunt magis mihi rei, quam Dathan et Abiron uidētur: dignię maiori supplicio. Quoniam & illi, & si indebitum honorem usurpare uoluerunt, tamen magnā habebant ministerij ipsius æstimationem, cuius se fieri participes, uel temeritate, docuerunt. Hi uero quanto huic officio multum honoris accessit, & in gloriam promouit amplissimam: tāto ex aduerso, quàm Dathan et Abirō, atq; ausu maiore delinquunt. Neq; enim æquale peccatum est; indebitum honorem uelle peruadere; & quod tam magnum est audere despicere. Quis igitur adeò infœlix est ut bona tanta contemnat? Non puto prorsus inueniri talem, nisi qui fortè astutia diaboli cōmouetur. Sic Chrysostomus. Qui igitur uos estis, uilissimi canes & sordidissimi, qui diuinū mysteriū despicitis et sacros ministros cōtemnitis? Quis furor? quæ insania? quæ uos demētia cœpit? Quale supplicium meremini, qui uestræ regeneratiōis autores persequimini? Si dirupta terra sub
nu.16 pedibus Dathan et Abiron, & aperiens os suum deuorauit eos, cum tabernaculis suis et uniuersa substantia eorum & operti humo descenderunt uiui in infernum, non timetis uos uiri nequissimi quorum in decuplo maior est impietas, quorum furor est ex diabolo?

Porrò, certum est multis modis uos esse blasphemos. Primum quòd sacerdotiū Christi, idest eius ministros, paruipenditis, qui ait, qui uos audit, me audit, et qui uos
lu.10. spernit, me spernit. Qui aūt me spernit: spernit eum qui

me misit. Et apostolus ait, (loquens de suo ministerio.) 1. the.
Qui hæc spernit, nõ hominem spernit sed deũ: qui dedit 4.
spiritum sanctũ suũ in nobis. Deindè, quod solis datũ est
sacerdotibus, uos ueluti rem prophanam omnibus cõmu
ne facitis (sicut sæpius diximus.) Deniq; nõ modo mi-
nisterium & ministros, sed ipsum sacrum mysteriũ, &
Christum autorem, impudentißimè maledicitis. Quo fit
ut uestra maledicentia omnium hæreticorũ, qui unquàm
fuerunt, superet blasphemias. Omnibus enim insolen-
tiores estis & impudentiores, quòd facillimum est pro-
bare, sed nunc ad institutum redeo.

Quod oblationes & sacrificia sub Moyse, non modo cruenti, sed etiam incruenti sacrificij Christi, typica erant. Cap. 16.

Nimirum, omnia sacrificia in lege Moysi fieri præ-
cepta; typica erant huius sacratißimi mysterij.
Multa erant illa, & iuge quoque fiebat sacrificium:
quod sero maneque celebrabatur: significans hoc no-
uum Christi sacramentum, esse iugiter offerendum.
Propterea uerò, quod semel in anno in sancta sancto- leu. 16
rum introibat summus sacerdos, non tamen sine san- heb. 9.
guine (ut inquit apostolus) unitas sacrificij Christi,
quo semel in cruce oblatus est significabatur, iuge au-
tem sacrificium, hoc nostrum repræsentatiuum & in-
cruentum sacrificium adumbrabat.

Christus igitur, & semel, & quotidie offertur, & idem semper est Christus. Atq; per hoc unicum semper est sacrificium, quia res unica oblata. Quòd si semel, & non quotidie, offerretur, multitudinem sacrificiorũ, & iuge sacrificium, non impleret. Rursus, si sæpe, per uaria sacrificia fieret oblatio: unica illa cruenta sua oblatione, non uideretur consumasse in æternum sanctificatos. Vt ergo totius legis finis sit Christus, oportuit unũ esse sacrificium, quod ipsum quoq; continuo fieret in ecclesia. Vna enim hostia: unus agnus: unum corpus, semper offertur, quod nunquàm consumitur. Operatio una quæ per Christum facta est in cruce, unum est cruentũ sacrificium. At uerò, quia externa sacerdotis actio in ecclesia, in cæremonijs & terrenis substantijs, ac locis distinctis, & uarijs tẽporibus, multiplex est, ideo multiplex quoq; & uarium incruentum dicitur sacrificiũ: licet id quod offertur, semper unicum maneat.

heb.10. ro.10.

Aug. c.20. Hoc confirmat Augustinus, libro decimo de ciuitate dei. Verus (inquit) mediator ille inquantum formã serui accipiens, mediator effectus est dei & hominum, homo Christus Iesus, cùm in forma dei, sacrificium cum patre sumat, cum quo unus est deus: tamen in forma serui, sacrificium maluit esse, quàm sumere; ne uel occasione quisquàm existimaret, cuilibet sacrificandum esse creaturæ. Per hoc & sacerdos est, ipse offerens: & ipsa oblatio. Cuius rei sacramentum, quotidianum esse uoluit ecclesiæ sacrificium, cum ipsius corporis ipse sit caput, & ipsius

capitis ipsa sit corpus: tam ipsa, per ipsum, quàm ipse per ipsam suetus offerri. Huius uero sacrificij, multiplicia uariaqué signa erant sacrificia prisca sanctorum: cum hoc unum per multa significaretur, tanquàm uerbis multis, res una diceretur: ut sine fastidio multa commendarentur. Huic summo ueroqué sacrificio cuncta sacrificia falsa cesserunt.

Idem libro decimo septimo de ciuitate dei, exponens illud solomonis, Non est bonum homini, nisi quod manducabit & bibet ait. Quid credibilius dicere intelligitur? Quàm quòd ad participationem mensæ huius pertinet, quam & sacerdos ipse mediator testamenti noui exhibet secundum ordinem Melchisedech, de corpore & sanguine suo? Id enim sacrificium, successit omnibus illis sacrificijs ueteris testamenti: quæ immolabantur in umbra futuri. Propter quòd etiam uocem illam in psalmo tricesimo nono eiusdem mediatoris, per prophetam loquentis agnoscimus. Sacrificium & oblationem noluisti, corpus autem perfecisti mihi. Quia pro illis omnibus sacrificijs & oblationibus, corpus eius offertur, et participantibus ministratur. Sic Augustinus. Qui duo simul coniungit, unum, quod Christus offertur, ut sit sacrificium, alterum, quòd ad manducandum fidelibus ministratur. Aug. ca.20. eccle. 3. psal. 39.

Idem libro de cathaclismo. Comeditur (inquit) angnus per noctem huius seculi, ut cùm mane illud uenerit, quod uesperam non habebit, non iam offeratur sacrificium Aug. c.4.

imaginis agni, sed ipsum agnum quem quotidie comedimus, & cuius sanguinem bibimus. Hoc loco Augustinus: duobus quæ diximus, (quid est sacrificium & cibus) addit tertium, uidelicet, quod fiat quotidie, qui usus manet in ecclesia, & credendum est esse, per traditionem apostolorum: ut singulis diebus fiat hoc sacrificium deó gratum.

Aug. c. 25. Idem, contra Cresconium grammaticum libro primo, uocat hoc mysterium sacrificium. Probans enim bonæ malis obesse sic ait: Quid de ipso corpore & sanguine domini unico sacrificio pro salute nostra, quamuis ipse dicat, nisi manducaueritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum non habebitis uitam: nonne idem apostolus docet etiam hoc perniciosum male utentibus fieri? Ait enim: Quicunque manducauerit panem, uel biberit calicem domini indigne, reus erit corporis & sanguinis domini.

Aug. c. 11. Idem, de anima ad Renatum, libro primo. Nulla inquit ratione conceditur, ut pro non baptizatis, cuiuslibet ætatis hominibus, offeratur sacrificium corporis et sanguinis Christi, tanquam per huiusmodi pietatem suorum, ad regnum cælorum, quo perueniant, adiuuentur. Hic Augustinus mentem suam apperit, ostenditque: quale sit, hoc mysterium, sacrificium, quia non modo gratiarum actionis est, (quod eucharisticum dicitur) sed est sacrificium propitiationis, quo placatur deus, Cuius participes non sunt uiri infideles, & qui sine

baptismatis sacramento, decesserunt.

Cyrillus de hoc sacrificio, sic scribit. Contra Nestorium. Annunciantes enim eam, quae secundum carnem, mortem unigeniti filij dei: Hoc est Iesu Christi, & ex mortuis resurrectionem, inque coelos assumptionem confitentes, incruentum in ecclesijs perficimus cultum. Accedimusque ad mysticas benedictiones, & sanctificamur, efficimurque participes sanctae carnis, & preciosi sanguinis nostri omnium saluatoris Christi: & non quasi carnem communem accipientes (absit) neque etiam quasi carnem uiri sanctificati et copulati uerbi, secundum unitatem dignitatis, hoc est quasi diuinam habitationem assecuti, sed ut uere uiuificam, propriam ipsius uerbi. Cyril.

Idem sanctum (ait) ac uiuificum, & incruentum, in ecclesijs operamur sacrificium, non unius, qui sicut nos, & communis hominis, corpus esse credentes, quod proponitur: & similiter uenerabilem sanguinem: sed accipientes magis, ut factum proprium corpus & etiam sanguinem omnipotentis uerbi. Communis enim caro uiuificare nequit. Cyril.

Gregorius Nazianzenus ad episcopos. ô sacrificia mittentes incruenta sacerdotes? ô animarum gloriosi custodes? ô magni figmentum dei in manibus uestris ferentes? Greg.

Diuus Ambrosius sacrificium offerre solebat, ipse enim sic scribit in epistola ad Theodoxium, libro Amb.

quinto epistolarum. Cum enim (inquit) essem solicitus ipsa nocte, qua proficisci parabam, uenisse quidem uisus es ad ecclesiam, sed mihi sacrificium offerre non licuit. Sic Ambrosius, qui religiosum Imperatorem ab ingressu templi retinuit: quòd nimia atrocitate succensus, innoxium sanguinem per suos milites, fudisset apud thesalonicam; propter militem impetu populi extinctum. Quare obediens uiro dei Ambrosio, Theodosius, spacio octo mensium sententiam antistitis sustinuit Imperator. Qui postea cum lacrimis admissus pronus in pauimento iacens fidei obedientia ueniam meruit, atque utinam tales cõtingat habere principes, et antistites, qui intelligant, quæ sunt propria sacerdotiũ & regum. Hoc exẽplum apposui ut agnoscant fideles quantũ degenerauit orbis à puritate christiana, cùm hodie præsules contra principes ne my quidẽ audeant uel biscere presumant in tanta sanguinis innoxij effusione.

Amb. *Idem in Lucam capite primo, de Angeli apparitione Zachariæ, sic ait. Atque utinam nobis quoque adolentibus altaria, sacrificium deferentibus, aßistat Angelus, imo præbeat se uidendum. Non enim dubites aßistere angelum quando Christus aßistit: Christus immolatur. Hæc Ambrosius, (cuius) & si negent aduersarij librũ de sacramentis, dicentes nõ esse ipsius: nun negabunt libros in Lucam, & eius epistolas? Negent pariter necesse est libros officiorum, quia in primo libro refert uer*

Amb. c.41. *ba beati Laurentij ad sixtũ, cũ ad martyriũ duceretur.*

Itaque

Itaq; (inquit) ijs uerbis interpellare cœpit. Quo progrederis sine filio pater? Quo sacerdos sancte sine diacono properas? Nunquàm sacrificiũ sine ministro offerre consueueras. Hæc Ambrosius in eo libro quem nullus unquam negauit esse ipsius.

Præterea ad cõprobandam ueritatem sacrificij quod fit in missa, plura aliorũ possunt aduocari scripta doctorum, & catholicorum antistitum, Clementis, Alexandri, Iulij, sergij, Leonis, martini, Gregorij, & eorum qui habentur in decretis gratiani: Possunt & uniuersalia concilia proferri, & prouincialia plura: quæ omnia missam esse sacrificium testantur. Quandoquidem nullus legitur, unquam de sacrificio addubitasse. Berengarius enim (licet de reali præsentia corporis Christi dubitarit) non legitur tamen, negasse missam esse sacrificium: quanquàm statim consectarium esset, sacrificium non esse, in quo nulla offertur uictima. Quæ profectò non offertur, si Christus abest à mysterio. Quare de ijs sacramentarijs haud mirandum est, si negant missam esse sacrificium: qui dicunt nihil esse quod offerri poßit, negantes uerum Christi corpus adesse. De luthero & eius assectis, qui fatentur uerum Christi corpus adesse in sacramento, admiror, cur negent offerri: qui, eò suo corpore uoluit esse præsens, non modo, ut sit cibus, sed ut patri etiam, per ecclesiam quotidiè in sacrificium offeratur: sicut supra per multa probauimus.

Quòd putant hæretici per distinctionẽ sacrificij dicta patrum inuertere, sed nihil proficiunt. Cap. 17.

NVlla adeò mala causa est, quæ patronum nõ inueniat: ubi quis pertinaci animo intendit ad defensionem. Tunc enim mens hominis cœca fit, neque prouidet, utrum uerum an falsum sit, quod tanto impetu: protegendum suscipitur. Sicut his contigit, qui negant missam esse sacrificium. Qui putant per distinctionem sacrificij, eucharistici scilicet & propiciatorij, totam euacuare controuersiam: ueluti patres de

Sar. oppõ. solo eucaristico (quod est gratiarum actionis) intelligant. Nõ ignoramus (inquit quidam illorum) missam à patribus appellari sacrificium: sed hi non uolunt missam ex opere operato conferre gratiam, & applicatam pro alijs mereri eis remissionem peccatorum pœnæ & culpæ. Vbi leguntur hæc portenta uerborum apud patres? Sic ille.

rñsio. Cui & reliquis eius farinæ, primo respondendum est, iniustè offendi nominibus: sicut de transubstantiatione supra diximus & de Arrianis. Ita hic quoque de opere operato mouent querellas: quasi de uocibus disputemus deriuandis, uel apte componendis, (quod ad grammaticos magis pertinet. Porro putant, nos uocare opus operatum, cæremonias sacerdotis. At nos (sicut sæpè diximus) opus operatum per Christum intelligimus: quod ita ãnexum est sacramentis, ut ipsa operata

tione prosint ad consequendã salutem quod de baptismo manifestum est. Et reliqua nunc omittens, sacrificiũ missæ ex opere Christi uim obtinens, applicatur ad placandam iram dei. Quinimo nullum præsentius est medicamentum ad depellenda omnia mala, & assequendam pro nobis, & pro aliis, remissionem peccatorum. Huic nostræ assertioni astipulantur patres, quos ipsi dicunt nolle missam esse sacrificium, ex opere operato, neque ullo modo propiciatorium. Cùm uero possem complures uocare testes, in præsenti causa, duos potissimum rogabo, (in ore enim duorum aut trium stat omne uerbum) ideo unum ex græcis, alterum ex latinis, Chrysostomum & Augustinum, ille in græcis facilè primus est, hic ex latinis nemini secundus. Deu. 17. 2. cor. 13.

Chrysostomus homilia sexagesimanona ad populũ: non temere (inquit) ab apostolis hæc sancita fuerunt, ut in tremendis mysteriis defunctorum agatur cõmemoratio. Sciunt enim illis inde multum contingere lucrum: utilitatem multam. Cùm enim totus constiterit populus extensis manibus, sacerdotalis plenitudo, & tremendum proponatur sacrificium, quomodo deum non exorabimus pro his deprecantes? Sed hæc quidem de his qui cum fide migrarunt. Chryst.

Idem primæ ad corinthios quintodecimo, homilia quadragesima prima. Nihil decet (ait) quantum fieri potest, ut iuuetur defunctus, non lachrymis, sed precibus, supplicationibus, eleemosynis, oblationibus. Non est Chryst. hom. 41.

temere hoc excogitatũ, nec frustra memoriam mortuorum inter sacra mysteria, celebramus; aut accedimus, pro istis agnum istum iacentem, & peccata mundi tollentem, deprecantes: sed ut his cõsolatio aliqua hinc fiat. Nec temere qui altari aßistit, inter horrenda mysteria clamat, pro omnibus in Christo dormientibus, & pro his qui memoriam celebrãt illorum: ita Chrysostomus. Qui aperte profitetur se loqui, de quodam tremendo, atque horrendo sacrificio: quale non est eucharisticũ seu gratiarum actionis. Quis enim dicat actiones gratiarum tremendas esse, uel horrendas? Aliud ergo est sacrificium. Deinde dicit hoc sacrificium proponi, (quod uocat agnum iacentem,) nimirum igitur loquitur de sacrificio propiciatorio, incruento, quo semper usi sunt

diony. prisci patres. Et cum Chrysostomo concordat Dionysius in ecclesiastica hierarchia.

ca.7.

Aug. Augustinus, in libro ad dulcitium quæstione secunda: quærentẽ utrum oblatio, quæ fit pro quiescentibus, aliquid eorum conferat Animabus: post multa tandem sic inquit. *Neq; negãdum est, defunctorum animas pietate suorum uiuentium releuari, cùm pro illis sacrificiũ mediatoris offertur: uel eleemosynæ in ecclesia fiunt. Sed eis hæc prosunt, qui cum uiuerẽt: ut hæc sibi postea prodesse possent meruerunt.* Hic Augustinus duas destruit hæreses, unam eorum, qui dicunt non esse orandum pro defunctis; alteram eorum qui negant missam esse sacrificium propiciatorium. Hanc eandem autori-

tutem repetit in enchiridio ad Laurentium. Aug. c.109.

Idem in libro ad paulinum de cura pro mortuis, sic ait. In libris machabeorum legimus oblatum pro mortuis sacrificium, sed & si nusquam in scripturis ueteribus, omnino legeretur: non parua hac consuetudine, claret autoritas, ubi in precibus sacerdotis: quæ domino deo ad eius altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum. Augustinus hic dum de altari meminit, nomne monstratur super eo fieri sacrificium? Quare utrunq; coniungit, (preces scilicet & altare) ut utrunque ualere ostendat, ad expiationem peccati. Alioqui precum tantum fieret nominatio non altaris, quanquam soleant aduersarij (suo more) fugam quærere dicentes, per allusionem, altaris nomen, accipi debere, quasi ad aliud referatur, quam quod dicimus: Sed hoc eorum refugium uanum est, sicut reliqua: quæ prosternunt sine ratione: & sensui doctorum non conueniunt, quos suis inuentis glossulis conspurcant, præsertim Augustinum, qui tamen alibi, sic suam aperit mentem: ut sui erroris conuincantur hæretici, quare in libro uigesimo secundo de ciuitate dei sic scribit. Aug•

Vir tribunitius hesperius, qui apud nos est: habet in territorio fussalensi fundum zubedi appellatum: ubi cũ afflictione animalium & seruorum suorum domum suam spirituum malignorum, uim noxiam perpeti comperisset: rogauit nostros (me absente) presbiteros, ut aliquis eorum illò pergeret, cuius orationibus cederent. Aug. c.8.

Perrexit unus, obtulit ibi sacrificium corporis Christi, orans quantum potuit, ut cessaret illa uexatio: deoqué protinus miserante cessauit. Hæc Augustinus, ex quibus uerbis multa resolui possunt obiecta. Quãdoquidem illud primo diluitur, quod de sacrificio propiciatorio obijcitur: cũ dicat Augustinus, sacrificio Christi corporis oblato, malignorum spirituum ceßasse uexationem, quod ad sacrificium propiciatoriũ pertinet: quod et expiatiuum

obiect. dicitur & placatiuum. At dices, solis orationibus im-

rũsio. petratum, ut cessaret uexatio. Respondeo, quid igitur Augustinus meminit oblati sacrificij, nisi ut ostenderet multum prodesse ad illud quod factum est? Deindè, hoc

Nota. maximè ex Augustino animaduertẽdũ est: quòd missa priuata, tunc facta est: quæ & soleret fieri per presbiteros: quos plures apud se habebat. Quis enim dixerit, tunc ad fundum zubedi cœnam dominicam, concursu populi communicantis, esse peractam? Fuit igitur illa missa priuata: idest sacrificium oblatum, cuius communionis gratiam, solus ille suscepit: qui obtulit, de quo sacrificio sæpe meminit Augustinus.

Aug. Idem de uerbis apostoli, orationibus (inquit) sanctæ

c.32. ecclesiæ, et sacrificio salutari, & eleemosynis, quæ pro eorũ spiritibus erogantur: non est dubitandum mortuos adiuuari, ut cum eis misericordius agatur à dño, quàm eorum peccata meruerũt. Hoc enim à patribus traditũ, uniuersa obseruat ecclesia: ut pro eis qui in corporis & sanguinis Christi cõmunione defuncti sunt, cùm adipsum

sacrificium, loco suo commemorantur: orare ac pro illis quoq; id offerri cõmemoretur. Cùm uerò (eorũ cõmendatorum causa) opera misericordiæ celebrantur, quis eis dubitet suffragari: pro quibus orationes deo nõ inaniter allegãtur? Non omnino ambigendũ est, ista prodesse defunctis: sed talibus, qui ita uixerint ante mortẽ, ut possint eis hæc utilia esse post mortẽ. Sic Augustinus, cui cõsentit Ambrosius, qui sacrificiũ pro fratre suo obtulit sicut ipse testatur in oratione funerali pro eodem circa finẽ. Et in epistola ad faustinum cõsolatoria post mortẽ sororis ego (inquit) non tam deplorandam, quàm orationibus prosequendam reor: nõ mœstificandã lachrymis sed magis oblationibus, animam eius dño commendandam. De hac sententia legito Cyprianum epistola nona libro primo, & Tertulianum in libro de corona militis, ex horum scriptis intelliges antiquas ecclesiæ consuetudines, traditione & apostolica autoritate firmatas. Amb.

Et Isidorus hispalensis episcopus qui fuit ante annos noningenos, horum omnium officiorum quæ fiunt in ecclesia rationem explicans, dicit esse credendum ab apostolis esse traditũ ut pro uiuis & mortuis offeratur sacrificiũ, huius ratio est, quia per totum orbem, semper à temporibus apostolorum hoc custoditũ est. Gradus quoq; eorum qui in Christi ecclesia deseruiunt, omnes describit, quorum sunt nomina, ostiarius, psalmista, lector, exorcista, subdiaconus, diaconus, presbiter, episcopus, posthæc ordinem episcoporum quadripartita Isidorus.

diuiſione ſecat, in patriarchas, archiepiſcopos, metropolitanos, & epiſcopos, & eorum omnium ethimologiam & interpretationem apponit, & quid cuiq; conueniat declarat: ut qui ſeſe diuinis cultibus mancipandos ſtudent, ſic diuinæ ſcientiæ operam dent, ut doctrinæ gratiam populis adminiſtrent, & hic Iſidorus de corpore & ſanguine Chriſti ſcripſit tractatum iuxta catholicum dogma quod tenet eccleſia. Hæc libuit annotare, ut confundantur in eorum conſcientijs, nephario erroris nouatores, qui ordines eccleſiæ damnant & ſacerdotij dignitatem contemnunt, cuius proprium eſt pro uiuis ac mortuis offerre quod nos ſæpe diximus obſeruandum.

Aug. c.13. Monica mater. b. Auguſtini, ſui memoriam ad altare fieri requiſiuit, ſicut libro nono confeßionum ipſe fatetur ijs uerbis. Nanque illa (monica) imminente die reſolutionis ſuæ, non cogitauit ſuum corpus ſumptuoſe contegi, ſed tantummodo memoriam ſui ad altare tuum fieri deſiderauit: cui nullius diei prætermißione ſeruierat: unde ſciret diſpenſari uictimam ſanctam: qua deletum eſt Chirographum, quod erat cōtrarium nobis. Ex ijs coniectari poſſumus, qualis eſſet fides piæ huius mulieris, de ſacrificio altaris: quod Auguſtinus uocat uictimam ſanctam. Deinde fatendum eſt, fuiſſe receptißimum quoq; in toto orbe, uſum ſacrificandi in eccleſia, cui quotidie adſtabat pia mulier. Deniq; apparet, quòd nimium perfricta fronte, mentiantur proterui blaterones, qui dicunt, in ſcriptis patrum nihil inueniri, uel pro

defunctis esse orandum: aut missam esse sacrificium propiciatorium: quod utrunque nos uerum esse monstrauimus: per dicta Chrysostomi, Dionysij, Augustini, & Ambrosij. Accessit ad hæc fides simplicis mulieris, quæ colophonem addidit ad conuincendos schismaticos istos: qui non uerentur tot uenena diffundere, & manifesta patrum scripta negare.

Plura, præter hæc, adduci possunt testimonia, ab initio nascentis ecclesiæ: quæ confirmant nostram sententiam: missam scilicet esse sacrificium expiatiuum pro uiuis & mortuis; & non esse hanc nouam doctrinam à scolasticis compertam: aut auaritia sacerdotum confictam: sicut iniqué criminantur hæretici. Sed quæ adduximus testimonia, ad confirmandos fideles sufficiunt, uerum ad obstruenda peruersa hæreticorum ora, alia requiruntur pharmaca: quæ motā mentem in sanitatē reducant. Quare utroq; Helleboro, hisce hominibus opus est, ut per superiora & inferiora purgentur. Alioqui (quàm diu hæc ipsorum durat insania) montes sibi aureos pollicentur: & licet in uolutabro luti uersentur, putant se tamen in lectis eburneis conquiescere, uel opiparum agere conuiuium. Circe enim suo eos dementauit poculo, & in sensum reprobum dati sunt. Qui cum nullis credant catholicis, tamen inter catholicos haberi uolunt. Eos imperitum uulgus sequitur, quod suis deliramentis armant in ordinem ecclesiasticum: cui semper est infensum. Cùm uero sui erroris uenena, sub diuini uerbi

uelamine opperiant: se solos, ueros diuinarum scripturarum interpretes esse gloriantur. Porro eos, qui de suo (ut dici solet) poculo biberunt, magnæ autoritatis uiros putant, ut pluris faciant quorumlibet eorum subdolum interpretamentum, quàm omnium catholicorum piam expositionem: aut totius ecclesiæ consensum. Illorum triuenefica dogmata: omnibus ordinationibus: consuetudinibus: doctorum assertionibus: sacrorum conciliorum diffinitionibus, denique clarißimis scripturæ sacræ attestationibus, præferunt. Dixeris hos noctiuagos, (lucem ueritatis, & Christi religionis antiquitatem pertæsos) solas diligere errorum tenebras, & nouam (impiam scilicet) tentare religionem. Veruntamen non minus admiranda est, insolens eorum arrogantia, quòd putant æquum esse, ut relictis tot & tantis, catholicorum, (eorumdemque sanctißimorum uirorum) sententijs, ad eos pauculos, in angulo orbis positos, & inter se etiam, doctrinis incertis, diuisos, deficiamus: Tenenda ergo nobis est Christiana religio, (ut
Aug. ca.7. monet Augustinus libro de uera religione. Et eius ecclesiæ communicatio; quæ catholica est, & catholica nominatur: non solum à suis, uerumetiam ab omnibus inimicis. Velint enim, nolint ue, ipsi quoque hæretici, & schismatum alumni, quando non cum suis. Sed cum extraneis loquuntur: catholicam, nihil aliud quam catholicam uocant. Non enim possunt intelligi, nisi hoc eam nomine discernant: quo ab uniuerso orbe nuncu-

patur sic Augustinus. Itaqué hæretici contra quos agimus, (cùm ad se certo sciant catholicum nomen non pertinere, se euangelicos uocitant: quasi extra catholicam doctrinam, euangelium posſit annũtiari. Quapropter, *nos qui catholicam fidem profitemur, quam toties, in cœtu ecclesiæ, clara confeſsione extulimus, & magnificimus: ab hæreticorum latibulis, & schiſmaticorũ tabernaculis, fugiamus: atq; cum uiris catholicis uerã sacrosancti Christi myſterij fidẽ teneamus: & myſteriorum autorem Iesum Christum cernui humiliter adoremus: cui cum patre & ſpiritu sancto est regnum in omne æuum.*

FINIS.

HIERONYMI NIGRI, FOSSANENSIS EREMITAE Augustiniani, de admirando mysterio, liber quartus, qui est de adorando Christo.

Quibus rationibus perseuerandum est in catholica ecclesia. Cap. 1.

NOn credunt hæretici catholicam eccesiam, cœlesti atque diuina uirtute subsistere, aut gubernari. Hinc se putant humanis molitionibus, aut fraudulentißimis machinamentis, totam ecclesiæ molem posse subuertere, & fideles, qui in ea sunt, captiuos ad sua castra subducere. Sed frustra laborant, & omnis conatus eorũ, euanescet in fumum. Nonne ipsa est catholica ecclesia, quæ deos gentium, & eorum simulacra cõtriuit? Quæ imperatores et reges idolorum cultores ad se reduxit? Et qui antea (errore seducti) in sanguine martyrum lauabant manus suas, nunc conuersi ad ecclesiam eosdem martyres, pio uenerantur officio? Hæc eadem ipsa est ecclesia, quæ cœlesti sapientia omnes philosophorum sectas, de deo, et summo bono, atq; hominis purgatione et reliquis disciplinis: falsas esse monstrauit. Hæc ipsa est

quæ iudæorum expectationem, merito iusteq; condẽnat: quia eum ipsa, in suo sinu possidet, qui desiderabatur à patribus. Hanc admirandam ecclesiæ dignitatem, quicunq; candido pectore contempletur, nũquam patietur se ab ea diuelli, & in castra rebellium abduci.

Sed præter hæc alia quoq; nos admonent, ut in catholica perseueremus ecclesia: quæ & Augustinum (ne ab ea discederet, postea quàm Christo fuerat initiatus) continuerunt. Velut cõtra epistolam manichei, de se ipse testatur. Tenet me (inquit) consensio populorum, atq; gentium. Tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, uetustate firmata. Tenet ab ipsa sede petri apostoli (cui pascendas oues suas post resurrectionem dominus commendauit,) usqué ad præsentem episcopatum, successio sacerdotum. Tenet postremo, ipsum catholicæ nomen: quod non sine causa inter tam multas hæreses, sic ista ecclesia sola obtinuit: ut cum omnes hæretici se catholicos dici uelint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad catholicam conueniatur, nullus hæreticorum, uel basilicam suam, uel domum audeat ostendere. Sic Augustinus. Aug. ca. 4.

Ista ergo tot, & tanta Christiani & catholici nominis charissima uincula, recté hominem tenere debent in catholica ecclesia. Nihil uero est apud hæreticos, quod æqué sit admirandum: quia nullum eis nomen unũ, commune est: præter id, quod hæretici dicũtur, quasi nullus alteri adhæreat, sed suã quisqué (quam elegit) opinionẽ,

perterrent, & abstrahunt; quia Christũ in ea catholici adorant: quem credunt esse præsentem. Et in hac re ipsi hæretici, qui nuper aduenerunt, oẽs hæreses quæ fuerũt longe excedunt. Et ne diutius immoremur (multis hæresibus enarrandis) Arrianam hæresim quæ sæpius grauauit ecclesiam huic comparandam assumimus, quæ (licet cum ea symbolum habeat, pené indiuiduum) proculdubio tamen, hac minor est.

Nempè, Arriani patrem & filium & spiritum sanctum negant, unius eiusdemq; esse naturæ, ac substãtiæ. uel (ut dicam expreßius) unius essentiæ, (quam græci homouslon dicunt.) Quanquàm uero sic dicerent, quo fieret ut Christus creatura diceretur: non solum secundum eam quam temporaliter assumsit humanitatem, ex uirgine: uerumetiam per eam quam æternaliter habuit diuinitatem, ex patre, licet (inquã) sic opinarẽtur Arriani, Christum tamen filium dei & filiũ uirginis colendum, & adorandum non tantum ab hominibus, sed etiã ab omnibus uirtutibus cœlestibus prædicabant.

At isti phrenetici impudẽtißimè plus, omnibus Arrianis, insaniunt. Qui filium dei hominem factum, negant adorandum, & eos qui adorant, crimine idololatriæ (nimium procaciter) non uerentur accussare. Ex quo insano errore, luculẽter apparet, uel duas personas, eos in Christo fateri, (quod est dogma nestorij) aut omnino Christum non esse deum, cui honor ueræ adorationis & latriæ denegatur.

Nos uerò, ei quem esse deum credimus, ubiq;, cultum deo debitum exhibemus: quem etiam omnium uisibilium & inuisibilium creaturarum, creatorem, rectorem, gubernatorem, & principem consitemur. In cuius manu cũcta sunt posita, cui nemo potest resistere. Qui sua bonitate uniuersa conseruat, & in suos fines suauiter ordinat. Rationalem quoq; creaturam suæ bonitatis participem facit. Itaq;, cum sit finis omnium, ei tota mẽte adhæremus per fidem, in ipsum solum speramus: ipsum solum toto corde diligimus. Hoc est, (ut credo) uere deum adorare. Hic est uerus cultus deo gratissimus. Hæc est uera et christiana religio, deo adhærere fide, spe, et charitate. Qui uero hæc non exhibent deo: quid deus sit nõ agnoscunt: & quid sit deum adorare prorsus nõ intelligunt. Nam externi quidẽ corporis motus, et inclinatio, & genuflexio, ac capitis apperitio, adiaphora dici possunt: quæ & creatori, & creaturis, possunt exhiberi. Sed internus illæ piæ religionis cultus, qui fit in recognitionem omniũ bonorũ: (ueluti primo fonte, ex quo manat quicquid est boni) soli deo est deferendus.

Proindè, si Christus non est adorandus: consectarium est, quòd non sit deus. Aut si deus quidem sit: non ubiq; tamen adorandus, ubi adorandus non est, ibi deus non est. Quia qui deus est, ubicunq; est, debet adorari. Scri-

Deu. 6. ptum est enim dñm deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Quòd, si non est deus, purus ergo homo est: uel phantasma est. Quorum utrumq; est damnatissimũ: unũ

mani-

manicheum, alterum ex photione. Nisi fortasse duas personas (ut iam diximus) cum nestorio, somniatis in Christo, qui Nestorius unam personam carnis, aliam faciebat deitatis. Vos quoq; (qui omnes hæreses renouatis) nimirum opinamini beatam Virginem, tantummodo hominis esse genitricem, non dei: propterea, quod illam genuisse creditis, non adoratis: quia non unum Christum in Verbo, & in carne. sed separatim, alium filium dei, alium filium hominis esse sentitis.

Nos uero catholicis doctrinis instructi, non deum tãtum esse dicimus Christum, sicut Manichei: Nec hominem tantum sicut Photiniani: Nec ita hominem, ut aliquid ei desit, quod ad humanam certum est pertinere naturam, siue animam, siue mentem rationalem, siue carnem, quam non de fœmina sumpsit, sed factam de uerbo in carnem mutato: quæ tria falsa & uana, Apolinistarum hæreticorũ tres partes, uarié protulerunt. Nec dicimus, quòd beata Virgo hóminem sine deitate conceperit: qui creatus a Spiritu sancto, postea sit susceptus a Verbo: quod Nestorium prædicantem merito iustéqué Ephesinum concilium damnauit. Sed dicimus Christum dei filium: deum uerum natum de deo patre, sine ullo initio temporis, eundemqué hominem uerum, natum de matre, certa plenitudine temporis. Nec eius humanitas, qua maior est pater, aliquid eius naturæ minuit, qua æqualis est patri. Hoc autem utrunqué unus est Christus: non unius unitate substantiæ, sed unitate personæ.

Sicut ergo credimus, quòd manente illa incommutabili uerbi essentia, (quæ ei cum patre & spiritu sancto, in emporalis atque æterna est) ita intra uirginea uiscera, uerbum sit factum ut, uno eodem què conceptu & partu, eadem uirgo, secundum unionem unius eiusdem què substantiæ, in una eademquè persona, & ancilla domini esset, & mater: ita credimus merito iuste què adorandam esse unam eandemquè personam: quæ deus est & homo, unus Christus. Neque uero nudo sermone hoc dicimus, sed diuinæ scripturæ testimonio muniti. Audite clamantem beatum Paulum. Hoc enim sentitæ in nobis, quod & in Christo Iesu, qui cùm in forma dei esset non rapinā arbitratus est esse se æqualem deo, sed semet ipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus ut homo. Humiliauit semeipsum factus obediens usquè ad mortem, mortem autem crucis, propter quòd & deus exaltauit eum, & dedit ei nomen quod est super omne nomen: ut in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium terrestrium & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quòd dominus Iesus christus in gloria est dei patris. Cùm ergo dixit, ut in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum, uniuersa conclusit. Nihil enim est in cœlo quod non genuflectat Christo. Nihil in terra, aut subterra: quod non adoret Christum Quare hoc etim dicto beati Apostoli, deuicti Arriani (Christum tamen filium dei, & deum esse, confessi

Phili. 2.

sunt, & adorandum quoque dixerunt? sicut in epistola Maximini Arriani Episcopi legimus, contra quem scribit Augustinus. Non quia crederet Christum adorandum (quod uera erat confessio): sed quòd negabat filium esse patri consubstantialem. Quicunque igitur negat Christum esse adorandum, Arrianis peior est, & manifestè contradicit Apostolo: qui omnem eidem subijcit creaturam. Aug.

Quid soleāt hæretici obijcere de carne Christi. Cap, 3.

Porrò, si Christum creditis filium dei esse, & deū, creditis quę patri esse consubstantialem, (quod non credebant Arriani) cur adorandum negatis? An fortassis dicturi estis, uos quidem christū adorare, sed nō eius carnē, quia manufacta est, & similitudinē hominis habet, omnem uero similitudinē eorū quæ in cœlo sunt, & desuper: & eorū quæ sunt in terra, & deorsum: prohibet deus adorari? Hæc igitur, uestra est ratio, quā prætenditis, pro uestra impietate: qua christū nō adoratis? præceptū legis adducitis, & uim legis non attenditis, quinetiā, nec uerba notatis. Primū, dicite quæso (si qua fides in uobis est) an carnē Christi separatis a Christo ut sit Christus sine carne? si sine carnę christus ē, homo non est. Cōstat enim homo ex rationali anima et carne, quas duas substantias uerbum dei assumens in unitate ypostatica sibi uniuit, neque unquam caro illa, uel anima, ab unione diuinæ personæ fuit separata: licet in triduo mortis Christi anima separaretur a corpore. Obiectio. Exo. 20. Leui. 16. Deu. 5. Rūsio

Itaqué ex tribus substantijs, carne anima & diuinitate uerbi, unam personã confitemur: quæ est Christus. Neque uerò adeo stolidi sunt catholici, (quod uos fingitis) ut carni (prout sola caro est) latriæ defferant honorem, qué soli deo debetur, ipsa enim sola, non est deus (si sepa retur) sed creatura. Multum quippe interest de humana natura, (seu de sola Christi carne) loqui, atqué de ipso Chisto: qui deus est & homo. Christus autem, personæ nomen est, que ex humana diuinaqué natura subsistit. Quaré cum Christum adoramus, non debent separari naturæ: sed eas (sic in una persona, ut sunt (pariter adorare debemus, neque contra preceptum legis facimus: quod non recte intelligitis, sic enim lex dicit. Non facies tibi sculptile, nequé omnem similitudinem, de ijs ergo loquitur, quæ ab homine fiunt, non de ijs quæ non sunt facta: Christus autem non est factus: & licet caro eius, facta esse dicatur (ut sit etiam creatura, si pre se subsisteret) quia tamen nunquam sola subsistit, eam lex non pro hibet adorari. quia, non ad eam solam & puram, sed ad suppositum, (qui Christus est) noster defertur mentis affectus.

Hunc loquendi modum catholici Patres docuerunt, qui uerum nobis usum tradiderunt adorationis, impri
Aug. *mis Augustinus (qui uestras semper hæreses reprimit)*
Io. 14. *is exponens illud Iohãnis, non turbetur cor uestrum, in*
ser. 58. *libro de uerbis domini, ego (inquit) dominicam carnem, imo perfectam in Christo humanitatẽ, propterea adora*

quòd à diuinitate suscepta, atquè deitati unita est, & non alium atquè alium: sed unum eundemquè, deum & hominem dei filium confiteor deniq; si hominem separaueris a deo (ut Photinus uel Paulus samosetanus) illi ego nunquàm credo, nec seruio: uelut; si quis nostrum, aut purpuram, aut diadema regale iacens inueniat, nun quid ea conabitur adorare? Cùm uero ea rex fuerit indutus, periculum mortis incurrit, si ea simul cum rege, quis adorare cōtempserit, ita etiam in Christo domino, humanitatem, non solàm, aut nudam, sed diuinitati suæ unitam, unum dei filium, deum uerum & hominem uerum, qui adorare contempserit æternæ mortis pœnam patietur, sic Augustinus.

Damascenus in eadem sententia loquitur libro tertio orthodoxæ fidei dicens. Duæ sunt Christi naturæ ratione & modo differentes, unitæ enim sunt secūdum hypostasim, & in se inuicem assessionem habentes, inconfuse sunt unitæ, propriam una quæquè differentiam seruātes modo igitur differentiæ solo numeratæ, ad discretā quātitatem reducuntur. Vnus igitur est Christus, deus perfectus; & homo perfectus, quem adoramus cum patre & spiritu, una adoratione, cum immaculata carne eius. Nequè in adorabilem, carnem esse dicimus: nam adoratur in una uerbi hypostasi, quæ & ipsi hypostasis facta est. Nequè creaturam colimus, nam non ut nudam carnem adoramus, sed counitam diuinitati, & ut in unā personam, & in unam hypostăsim dei uerbi; duæ eius

reuocatæ sunt naturæ. Timeo quidem carbonem tãgere propter ignem ligno coniunctum. Adoro Christi simul utrunque propter carni coniunctam counitamque diuinitatem. Neque quartam in trinitate introduco personam (absit enim) sed unam personam confiteor dei uerbi & carnis eius. Nam trinitas, mãsit trinitas, etiam post uerbi incarnationem: hæc damascenus.

Chry. Chrysostomus homilia quinta ex capite secundo ad hebreos ob eam rationem quòd Christi caro adoratur, quæ ex nobis est, dicit carnem nostrã adorari etiam ab angelis per quandam metaphoram sic enim ait. Quantum festinauerit circa naturam humunam ostendit, & quoniam multa cura est deo; de illa, sic etiam hinc multo amplius est: quod ponit ex comparatione. Non enim, angelorum quenquã apprehendit: & reuera, magnum et admirabile, & stupore plenum carnem nostram sursum sedere, & adorari ab angelis, & archangelis, & cherubin, & seraphin. Hoc sæpius ego in mente uersans excessum patior, & maiora de genere humano imaginor. Sic Chrysostomus, ij ergo tres uiri catholici, eò Christi carnem adorandã dicũt, quia Christus deus est; uos qui negatis adorãdam esse, conuincimini: quòd neque creditis Christum esse deum; & proculdubio uestra hæresis totam perturbat Ecclesiam, a qua (propter uos) plures defecerũt, & in merum paganismum prolapsi sunt: ut nec uobis, credant: nec nobis, Quid enim opinamini, cur ille miserrimus Franciscus spera patauinus prorsus

desperanit, & Atheos decessit, nisi quia ob uestra para doxa, nihil firmū statuere potuit: quibus ille nimiū adhe serat: & ad uiā quā reliquerat (a uobis obcæcatus (re= dire nō potuit? Quid superest ad cumulū uestræ impie tatis? Cur uocamini christiani qui Christū deū negatis?

Quod subdole hæretici uidētur admittere Christum adorandum, sed nō in sacramēto. cap. 4.

AT dicetis (sicut quidam ex uobis solent) Christum adorandum quidem, sed non in sacramento, uerum ad dexteram dei patris in cœlis. Nam ad cœlos (inqui= unt) nimirum ascendit, ut isthic agnoscatur, & adore= tur, quod sit omnipotens, dominus super omnia. Sed in sacramento non est ad hoc, ut isthic adorari uelit: sed ut nobis apud patrem opem ferat. Quēadmodū & ad nos in carnē uenit, nō ad hoc ut adoraretur, sed ut nobis ser uiret: quomodo ipse ait nō ueni ut mihi ministretur, sed ut ego ministrem & uitā meā exponā in redemptionē pro multis. Item dicunt nos nullū habere præceptū de adorando Christo in sacramento. Quapropter, hoc solū est faciendum quod deus fieri præcepit ut in deuterono mio legimus. Quod ego precipio tibi hoc tantum facito. Ostendite (inquiūt) uel minimum apicem in totis biblijs de adorādo Christo in eucharistia. Hæc argumenta obij ciunt, ij qui uerū Christi corpus adesse credunt in sacra mēto, et trāsubstātiationē substātiarū nō admittūt. Ho rū igitur primū rationes diluēdæ sunt, posthæc aliorū insanias detegemus, qui uniuerso detrahunt mysterio.

Proinde, uos qui cum catholicis confitemini ueritatē Christi corporis in sacramento, & Christum totum adesse creditis: quem tamen isthic adorandum negatis? noon consonam tenetis sententiam: sed sibijpsi contrariam. Quid enim refert, si dixeritis, Christum isthic non esse: aut isthic quidem esse, sed ei non deferēdum honorem? Nonnę magis peccat, qui cognito principi debita seruitutis officia non reddit, quúm qui Principem nō cognoscit? Quare, aut negetis oportet esse presentem: aut si presentem creditis, qualem putatis, congruum exhibeatis honorem, si Christum deum præsentem creditis, Christum deum adorate: quoniam scriptum est, Dominum deum tuum adorabis. Nam quod dicitis, Christū ad dexteram patris sedere in cœlis: ut isthic adoretur, & non in terris: ineptum est & inane, quia lex præcipiens deum adorandum, nullum præclusit locum. Adorant Angeli Christum regnātem in cœlis, quem adorauerunt peregrinum in terris, ubicunquē deus est, ibi debet adorari. Deinde minus illud est. quod dicitis: non uenisse Christum ut adoretur; ipso dicente, non ueni ut mihi ministretur. Hanc uos torquetis scripturam. Hic enim Christus loquitur de obsequio, quod serui dominis temporaliter exhibent, quodquē principes seculi exigūt a suis. Nihil horum quæsiuit Christus, cuius regnum est spirituale. Cōfeßionem uerò fidei (quæ est, ut credamus esse filium dei, uerum redemptorem, & propiciatorem) hanc requisiuit: quæ est uerißima adoratio: qua eum ado

rauerunt omnes fideles: & cum in terris esset, ipsum adorauerunt Apostoli, & cùm dixit Petrus tu es Christus filius dei uiui, nonne antea interrogauerat, quem dicunt homines esse filium hominis? quibus uerbis ostendit se debere cognosci: & nunquam uspiam inuenietis, quòd non unice istud quæsierit: ut adoraretur, hoc est, ut cognosceretur esse filius dei, quod est colophon ueræ adorationis. Quando accesserunt ad eum cœci, clamãtes & dicentes, miserere nostri fili dauid, & dixit eis, creditis quia hoc possum facere uobis, quid aliud ab eis quæsiuit nisi adorationem? & similia sæpe legimus in euãgelijs, præsertim quę de cœco a natiuitate, ubi manifestius declaratur. Dixit enim Iesus cœco, tu credis in filium dei? respondit: & quis est ut credam in eum? cùm uero dixisset Christus: qui loquitur tecum ipse est, statim agnouit, quid esset faciendum, & dixit credo domine, & procidens adorauit eum. Quis dicat Christũ non requisisse sui adorationem? quod si non, certe repullisset, quam tamen admisit. Quare in euangelijs plures sunt huiusmodi loci.

Math. 6.
Lu. 7.
Mat. 9.
Ioã. 9.

Discrimen uero quod uos facitis, inter Christum qui ad dexteram dei sedet: & inter eundem, qui est in sacramento: quo fit, ut dicatis, Christum eò sedere apud patrem ut adoretur, in sacramento uerò, ut non adoretur: quid hoc commentum sit, prorsus non intelligo. An non idem Christus nobis in sacramẽto porrigitur, qui ad dexteram dei sedet? non æstimo uos dicturos, alium esse,

si ergo idem utrobiquê est, cur non est adorandus ubicũquê est, cum ubiquê sit idem deus.

Deniquê quod de præcepto legis prætexitis, maxime erratis, quia nõ modo scriptæ legis præceptũ est, ut adoretur deus ubicunquê, sed lex naturæ in conscientijs descripta (a qua nullus absoluitur) sic indicat, & præcipit esse faciendũ, quod in Abrahã ostẽditur. Huic deus apparuit in cõualle mãbræ, sub specie trium angelorũ; Gen. quem adorauit, fuit Abrahàm ante Moysem, sub quo da
18. ta est lex in tabulis lapideis, & ipsum Abrahã laudat
Exo. scriptura. Quis indicauit Abrahæ in illis specibus deũ
34. esse adorandũ? sic enim legimus, quòd adorauit in terra An ergo fuit idololatra? absit, propterea enim egressus est, de caldea, & de domo patris sui, ut solũ deũ coleret. Habebat autem sculptam legem naturæ, nõ uitiatã, sed dei gratia conseruatã in corde, per quã cognouit isthic deum esse adorandũ, in ea specie, qua apparuit ei. Porrò si Abraham non est reprehensus, quòd deũ in terris adorauit, in aliena & corporea specie, ad quã nõ erat unitus per hypostasin, quomodo iuste redargui possunt catholici, qui Christũ uerum deum & uerum hominem in una hypostasi adorãt in terris, in sacramẽto quod instituit, & in quo adesse creditur, per substantiam, sicut ipse promisit?

Ex his utiquê facile intelligimus, quanta cum humilitate, timore, & tremore, demissi genua, & contrito corde Christum non modo in cœlis, sed etiam in eucha-

ristia admirabili modo præsentem, adoremus. Nam si ad uocem nominis Iesu auditam, omne genu flectitur, quid nobis faciendum est, cùm audimus, (uelut ex ore domini prolatum) Hoc est corpus meum? tuncquè statim mirabiliter fit præsens? si soli nomini audito, exhibemus honorem, quanto magis cùm præsentem eum esse credimus? solet populus uniuersus in foro, & in plateis, audito sui Regis nomine, aperire caput & genua flectere, sed cum præsens est Rex multo modestius & uerecundius eius præsentiam contremiscunt, quod si contẽpserit quis & debitum non reddat honorem, statim capitur ad supplicium & reus Regiæ maiestatis efficitur. Quo igitur supplicio dignus est, qui Christum Regem regum, deum uerum, & hominem uerum in eucharistia præsentem adorare comtempserit?

Hæc quæ hactenus diximus hoc capite cõtra eos pugnãt qui uerũ Christi corpus adserunt in Eucharistia: negant tamen esse adorandum, sed impia magis sunt & horrenda zuinglianorum maledicta quibus resistere nunc oportet.

Respondetur ad blasphemias zuinglianorum qui mysterium missæ prophanãt, & sacrilegã idololatriam uocant. Cap. 5.

ADamus (qui exactis zuinglianis, pro conficiendo nouo bello præparauit machinas) nullũ nõ mouet lapidẽ ad gregarios milites cõquirẽdos: et habet exploratores nõ paucos qui catholicorũ ecclesias perlustrent

Castrarimentur & arces, qui non (uelut apes) flores perquirant, sed (ut immūde sues ut iam dixi) cœnosa uolutent, idest, non ut quid laudent inueniant, sed ut scrutentur, quid reprǽhendant. Proinde uniuersos ritus Ecclesiæ indiscriminatim abominandos prostituunt? nō modo eos, qui paululum a prisca consuetudine declinarūt, sed, & eos quos pié & integré, semper obseruauit Ecclesia. Non hic commemoro blasphemias, quas Adamus, congessit in sacrū Canonem, per Anotomiam (ut dixit) uniuersam Eucharistiam dissecans & lanians, indignus enim est, cui in singulis responsum dare condeceat: solos quos putat & recenset abusus enarrabimus, Atque eum pre calumniam agere demonstrabimus.

Putant iudei idololatras esse christianos, quia diuinā trium personarum adorant substantiam: existimantes tres nos dicere deos: qui unum & simplicissimum esse confitemur. Non longe ab his distant maumethani: qui & trinitatem diuinarum personarum negant, & Christum purū hominem opinantur, & eò plus credunt nos esse idololatras quod hominem adoramus. Hos sequūtur zuingliani: qui tamen agunt per calumniam, qui cum sciant, quid id sit, quod adorant Catholici, non uerentur falsas criminationes imponere: & nos apellant sacrilegos idololatras, qui hostiā & calicem (idest corpus & sanguinem Christi) adoramus. Igitur cùm Adamus in anotomia contra Catholicos inuehitur, & probat sacramenta adoranda non esse, ad causam nostram non acce-

dit. Quia non adorant Catholici sacramenta quæ nihil alud, quam signa sunt, ueluti Baptismus & ordo. Sed in sacramento Eucharistiæ, rem quæ in sacramẽto est ado rant: uerum Christi corpus scilicet, & Christum totum quem adorauerunt Apostoli: & quem adorandum tota semper prædicauit Ecclesia.

Adamus in suis blasphemijs primum quidem nimia dilatione uagatur, Inanem uerberans aerem, frustatim sua machæra existimans concidere Catholicos. Atque probat semper fuisse abominandam idololatriam, præser tim in populo dei, in quo uerus dei cultus seruari debet: sicut in Exodo & deuteronomio ac multis prophetis ap- Deu. 4 paret ira dei cõtra idololatras, & hoc ipsum omnes cõ Exo. 32 fitemur, & non debuit, in re confessa, tanto labore fati- gari. Quod uerò subijcit, missam esse falsum cultum, & abominandam idololatriã: in qua deus grauiter & mul tis modis offenditur: & eius gloriæ derogatur: hoc (in- quam) quod, tam inuerecunde asserere non ueretur: con stat esse falsissimum. Nec istud probauit, nec probabit unquam. Quia nullus cultus tam deo gratus est: quàm, qui ei exhibetur in sacro mysterio. & hic cultus non ab hominibus confictus est, sed ab ipso Christo est traditus. Neque primus instituit Honorius pontifex Romanus eucharistiam adorandam, qui fuit anno salutis millesimo ducentesimo uigesimo sexto, cuius est illud decretum, sed fuit ritus ab Apostolis, & à necessaria ratione, pue- niẽs, et Aug. dicit neminẽ mãducare nisi adorauerit,

Deinde infideliſſimè atquè impijſſimè errat, qui eos putat idololatras, qui Chriſtum adorant (ſicut probauimus) nequè ſacerdos qui Chriſtum offerre dicitur, præter ius, ſibi uendicat officium Chriſti, ſed ſibi conceſſa, imo commiſſa, utitur poteſtate, Quam cùm exercet (modo quodam) etiam ipſe Sacerdos mediator dicitur, inter deum & homines: quia offert ſacrificium pro peccatis. & nouum ſacerdotium Chriſtus auxit, nō abſtulit, proprium autem Sacerdotis officiū eſt, offerre. Quamquā uerò hæc omnia propria dicūtur Chriſti officia, (ſicut per totam ferè epiſtolam ad hæbreos oſtendit Apoſtolus) ueruntamen cùm per Sacerdotes fiunt, ipſi quidem externum exhibent miniſterium, ſed interius (diuina uirtute) Chriſtus operatur. Et id non modo in Eucharistia, ſed in omnibus ſacramentis fit, ſicut ex ſententijs patrum, (quas ſupra collegimus) manifeſtum eſt. Nec minus propterea Chriſtus eſt unicus ſacerdos, redemptor unicus, aut ſolus interceſſor: quia unica eſt hoſtia, & unicum ſacrificium. Sola enim Chriſti mors efficax eſt ad ſalutem: unum ergo & ſolum eſt ſacerdotiū Chriſti, quod perſeuerat in eccleſia.

Quæ igitur ſacrilegia, quas abominationes fieri co-
Cal. miniſceris in diuino myſterio? Ait Caluinus, catholicos adorare fruſtulum panis. Bonè deus? Quid eſt calūnia, ſi iſthæc calūnia non eſt & falſa criminatio? Quomodo fruſtulum panis adorant: qui dicunt nihil ſubſtātiæ panis remanere poſt miſtica uerba? qua audēt temeritate

uiri mendacißimi, uoces nephandißimas, in uulgus impe ritũ spargere? Porrò frustulũ panis adorãt: qui Christi præsentiã negant. Isti certè, uniuersum Christi mysterium blasphemãt, & nõ Christi, sed antichristi & Sathanæ ministri sunt: qui Christi sacerdotiũ abolere festinãt. Nihil enim est (qđ magis conẽtur hæretici, quã de uastandis ordinibus Ecclesiæ; ut nullum sit discrimen sacerdotis & layci, sancti & prophani, legito Tertullianũ Cyprianũ, Basilium, Chrisostomũ, Augustinũ, Hieronymum, & reliquos Catholicos qui de moribus hæreticorum scripserunt, intelliges, ad hunc scopũ semper atten disse: ut donũ apostolicũ, & omnes ecclesiasticos ordines penitus abolerẽt, & ne nomen quidem relinquatur, laborant. Hinc, non frustra, hæc conseruari in publicis precibus, rogat Ecclesia: quia tũc, Antechristi regnum preualebit: cũ ecclesiasticus ordo fuerit obliteratus. quapropter cauete fideles, cauete obsecro, ab ijs antichristianis, qui sub ouillis pelibus euãgelij, regnũ antichristi integrãt & instaurãt. Deindè, damnat Adamus, quod Ad.2. sub secreto uerba sacra, pfferãtur: quasi in publicis cõcionibus, in ecclesia sæpius (dũ subest occasio) manifestè nõ declarẽtur. Quòd si (dũ illud mysteriũ perficitur) secretò dicãtur, nihil obest, ad id quod cõficitur: sed eius ostẽdũt dignitatẽ: ut penè, sacerdos nõ audeat, tã tremẽdũ exercere mysteriũ, & omnia quidẽ, euãgelij uerba sunt sed non eandem habẽt omnia operationẽ. Quid putas, uirginẽ clamore uocis, illa uerba dixisse; ecce ãcilla dñi

quod est animi elatioris inditium? nō opinor sane. Quanto magis uerba Christi humiliter proferenda sunt, a sacerdote, qui non suum, sed Christi agit officium? & licet sacramenta sine uerbo non fiant, non desinunt, tamen esse sacramenta: quamuis uerbum non audiatur ab omnibus sufficit enim, quòd cùm a Sacerdote ministrantur, sacramenta esse credantur.

Nec minus iniquè fingit mortem domini in missa nō annūtiari: cum ipsa tota, sit Christi mortis annuntiatio, & sacrificium Christi in cruētum, Christi sacrificium cruentum representans, & ad id quoquè exprimendū, Epistola legitur, & Euangelium in quibus: quid aliud commemoratur, quam Christi mortis beneficia? & præter hæc mandatum habent, sacerdotes parochi, quibus animarum cura cōmissa est: ut singulis dominicis & festis diebus, prædicent uerbum dei: Quod si qui, non faciunt, non eò tamen conuenit, proceribus ecclesiæ detrahère, & schismata facere.

Porro quia negant missam esse sacrificium, ideo colligit esse superstitiosum, quód solus Sacerdos celebrans, communicat, Deinde hanc negat esse cōmunionem, quia cum cæteris non communicat. Sed errat Adamus, quia nos, iam probauimus missam esse sacrificium: quod applicatur pro uiuis, & mortuis. Quomodo ergo, communio non est: de qua tot fiunt participes, & sicut quoquè pro alijs orat, ita sacrificat, & eius oblatio, deo grata est, quia ipse fieri precepit. Nec malitia sacerdotis, obest sa-

cerdotis, obest sacrificio, in quo Christus operatur, sed alia ratiōe ipsa cōmunio, dicitur: quia Christo ipso cōmunicat: quia eius comedit corpus: cuius fit particeps: sicut dæmoniorū, participes dicebātur, qui dæmonijs immolabāt, & mensæ eorū participes erāt, tametsi soli, sacrificia peregissent, ut de ijs scribit Apostolo. Corin. nequé obest, quòd alius mos, antiquis fuerit: quia nos (ut supra dicimus) neminem arcemus a communione. 1.Cor. 15.

Qui uerò commoda negant, quæ contingūnt ex missa, uniuersum Christi mortis fructum ignorant (Quia sicut Christi mors ad omnia utilis est, sic & Missa, cùm sinonima quidem sint, & unā rem eandemq; significāt. Nec quicquā deo gratius offerri potest, quàm quod offertur in missa. Quapropter, missa ad omnia ualet, (uelis nolis) ad pluuias, ad serenitatem, ad pacem, contra bellum, pro Imperatoribus, pro regibus, pro populo, Neque ulla uirtus est, quæ huic ualeat comparari. Hic nullus abusus est, aut figmentum hominum: sed Christi institutum: & uera religio. Ad.5.

Illos sæpius damnauimus, qui sola habendi cupiditate, missas celebrant, & eis solis applicant sacrificium, qui pecunias dederunt: ij ostendunt, se abuti dei ordinatione: & ideo cum Giezi lepra peccati perfunduntur. Rursus tamen, fideliter asserimus esse Sacerdotis officiū sacrificare, & fructum mortis Christi, per suffragium applicare, uiuis, mortuis, patri, matri, amico, aut reliquis. Quia non modò Christus, contulit apostolis pote- Ad.6. 4.Re. 5.

statem prædicandi euãgelium, sed etiam faciendi sacra, & administrandi cætera sacramẽta, & non habent hæretici scripturas, aut ueterum traditiones: quibus niti poßint, ad subuertendum hanc nostram catholicam doctrinam, sed tantum sua somnia narrant: & in hoc loco Adamus fauet donatistis, Quia putat, fieri non posse, quòd peccator (& forte scelestus) habeat potestatem, hæc Christi beneficia dispensandi. Hic quippè error manifestus est, de quo legito Augustinũ contra donatistas.

Ad.7 *Postea, magis delirat putans iustè reprehendere ea quæ sunt iuxta phisim hominis & eius ingenium, sine uicio. Non damnat lex, hos naturalis affectus, quibus uarietatibus solet oblectari. Quid igitur accusat Catholicos, uel ipsam Ecclesiam, si ipsis affectibus inseruiat: & quãdoque solennius celebret mysteria, aut ornatiori cultu induantur ministri: uel si cantibus & uocibus musicisuè oblectetur instrumentis? Non hæc ad imitationem iudæorum fiunt, nequè gentilium, non magis quàm, nec ad eorum imitationem manducamus aut bibimus, sed (quod docente natura fieri potest, sine peccato) permittũt Antistites Ecclesiæ: quibus data est potestas a Christo, hæc & similia instituendi: & de uestibus & uasis Ecclesiæ, pro uarietate temporis disponendi. Quod de flamine reperto narrat, nihil agit ad causam. Constat enim rationem externi cultus, inter adiaphora esse: & quæ prius superstitiosa erant, ad ueram Christi religionem accõmodari possunt: quia qualis Religio, talis &.*

cultus. Ad

Nullam uerò personarum acceptionem, admittunt 8.
Catholici in celebratione sacramenti, ut magis missa sit,
quæ fit per Episcopum, *quàm quæ per minimum* Sacer
dotem, aut ut sit minus, missa monachi, quâm abbatis.
H*æc de suo fingit, ut plures cõnumeret abusus, ad dete*
statione missæ faciẽdam apud imperitos, æqua est enim
sacrificandi potestas, in omnibus sacerdotibus.

Sicut canis uenaticus feras, solo sequens odore, ad Ad
eundem sæpe recurrit locum: ita hic nihil habens certi, 9.
quod opponat, ad damnandam doctrinam ecclesiæ: ad
solas cæremonias euellendas, animum intendit: & ea=
dem sæpe repetit, quasi uana sint, & inutilia om=
nia, quæ ad decorum & ornatum, per Ecclesiam
sunt instituta. I*ste uero non bene sanus iudicat esse su=*
perstitiosa, iudaica, & gentilitia, nimirum nouus
Cato.

Simplicitatem eorum, qui singulis diebus missæ inter Ad
sunt: ne temporalia patiantur incommoda: corrigẽdam 10.
supradiximus. N*eque omnino tamen, uota eorum reijci=*
mus: nisi penitus temporalia quærant, præterea nihil.
I*deo ea intentione missæ possunt adsistere, qua etiam,*
licet temporalia appetere commoda, sine quibus huma=
na conditio subsistere nequit, ob quam causam, docuit
nos C*hristus in oratione petere, que uictui sunt neceßa*
ria: cùm dicimus, panem nostrum quotidianum, da no=
bis hodie.

Ad 11. Præceptum Ecclesiæ de audiēda missa, nemini phas est contemnere; neque est humanum inuentum, missa, sicut se iactat probasse Adamus, & in ea quoque proponitur uerbum dei, quod est audiendum, in ea legitur lectio ex Apostolo, recitatur euangelium. An dices hæc non esse audienda? Cur igitur liberum facis quod est, necessarium? Neque tamen, singulis diebus audiendam præcipit, sed antiquam patrum ordinationem seruat: quæ est ex Apostolis, ut Dominicis, & aliquot festis diebus conueniant fideles ad Ecclesiā: & scripturas apostolorum & Euangelium audiant, atque in oratiōe perseuerent, usque dum missa peragatur, Hoc præceptum ad edificationem Ecclesiæ pertinet: pro qua potestatem acceperunt Apostoli a domino: sicut scribit b. Paulus Corinthijs.

Ex canō. Apostolo.

Ad 13. Quanta uero sit dignitas, & potestas sacerdotij, (si exactius scire cupis) legito Chrysostomum in dialogo de dignitate sacerdotali, præsertim librum tertium, in quo (postquam Christum offerri per Sacerdotem ostendit) statim subijcit. Hi namque (scilicet sacerdotes) qui terram incolunt, atque in ea conuersantur, cœlestia dispensare meruerunt, & potestatem acceperunt: quam neque angelis, neque archangelis, dedit deus. Neque enim ad illos dictum est: quecūque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo, & quecunque solueritis erunt soluta; & paulopost, Quid ergo reliqui est (inquit) si omnis eis commissa est potestas cœlorum, Quæ

potest inueniri maior potestas? omne iudicium dedit pater filio, At hoc uideo a filio totum Sacerdotibus esse commissum. Quid igitur insanit Adamus, qui audet Sacerdotij subsannare potestatem, quæ eò magna est, quia Sacerdos sacrificat pro populo & peccata remittit? Hæc potestas non est b. Virgini collata, & hac in re maior est potestas Sacerdotum, quàm beatæ uirginis. Quia (tametsi peccator sit) eius conditio nõ attenditur sed dei uirtus operantis conspicitur. Quod autem ait, in 4 parte Adamus) Sacerdotes nõ esse ueros sacramẽtorum ministros? quia non ministrant uerbum dei, & quia nõ sunt uera uocatione uocati: nugatur infelix, qui putat necessariam esse populi electionem ad sacerdotiũ quam nunquam requisierunt Apostoli, neque Canones, quos citat in margine hoc loquuntur, licet caput (nulla ratio quod est Leonis pape) de expetitione populi, nõ de electione, memoretur, sed aliud est expetere, aliud eligere: Sophisticé quoque arguit de ueritate sacerdotis, quia, non desinit uerus esse Sacerdos: etiam, si malus sit, sicut non desinit esse homo; licet ratione non utatur. Sed hic error, ualdensium fuit, qui putabant post b. Siluestrũ nullum uerum esse pontificem. Illud multo magis blasphemum est & abominandum, quod paulo supra in eodem capite dixit) non esse sacramentum, nisi dum dispensatur eucharistia, atqué (post dispẽsationem) posse prophanari, & distribui in cibo & potu, sicut reliquus panis, & uinum. Hoc autem, quam sit impium,

Cap. 2

Dist. 62.

nemo non intelligit, cùm sit præceptum in concilio Are lateñ. sub Leone primo: sacrificium diligenter custodiri appositis pœnis ijs qui hæc negligerent.

Cle. Et Clemens in epistola ad Iacobum fratrem domini: residua corporis domini, cum timore & tremore, a clericis consumi præcipit, & fragmenta oblationum, & sacrarios panes, negat paßim laycis (uel alias indignis) impendi.

Ad 13. Hinc apparet, etiam indiscreta Adami sententia, qui paßim tremendum Christi mysterium Eucharistiæ: uult pertractari, & per manus uirorum & mulierum uolutari, & prophanari. Vocãs superstitiosum, quòd a contactu hostiæ sacræ layci arceantur. Esto, quòd Christus cœnans, in manibus Apostolorum, suum corpus tradiderit comedendum: qui consequitur, esse omnibus dandum? Nonne oportuit in tam grandi mysterio discrimẽ esse, inter Apostolos & laycos? legito quoscunqué uolueris, nusquam comperies, hũc usum fuisse in Ecclesia, quòd in manibus laycorum, sacrosancta Euchuristia cõmitteretur, nisi apud hæreticos, qui perpetuò sacerdotibus Christi detraxerunt, et diuina prophanarũt sacramẽta, quiqué semp a catholicis moribus abhorruerũt.

Donatistæ, eucharistiam in manibus laycorũ dabant,
Aug. sicut refert Augustinus libro secũdo contra litteras pe
ca. 23. tiliani, ex quo liquet, penes catholicos nõ obseruari, quia Augustinus speciatim notat donatistas. Nouatiani (etiã hæretici) donatistarum abusum seruabant, huius rei te=

stis est Eusebius,ecclesiasticæ historiæ libro septimo, de puero cui data est ad deferendum patri.Comperiant hæretici in scriptis catholicorũ,aliquando sic datam, quẽadmodũ apud hæreticos ,in Rothomagen autẽ cõcilio, postea quoquè prohibitũ est fieri quòd uiderent patres hũc usum esse ab Apostolis traditũ, qui in catholica Ecclesia tanta antiquitate seruabatur,& tamen Adamus (quasi somnians ait)unde hæc noua religio,Christi & apostolorum institutioni aduersa? unde est quod laycus mundus nõ tãgat manibus,& scelestus sacerdos dignus est qui cõtractet?Hic primum Adamus quærit sibi laycorũ conciliare fauorẽ,quos in omnibus æquat sacerdotibus. Deindè ferè ubiquè fauet donatistis , qui p malos Sacerdotes,negabant confici,sacramenta,Deniquè attẽde preposterũ hominis iudiciũ:uetustißimã catholicorũ religionẽ nouã uocat:et nuprimã a zuinglianis cõpertam,putat antiquã:eã tamen a suis cõplicibus & cõiuratis hæreticis(a nouato scilicet & donato)acceperũt. Nec unquam fuit mos in primitiua Ecclesia, ut in manibus laycorum daretur:sicut de suo fingit Adamus. Esen. Ada. Respõsio. Ad. 14.

Quod uerò putat abominãdũ,in missa fieri memoriã sanctorũ:iam diximus,nullibi magis conuenire eorũ cõmemoratio:quàm cùm Christi mortis mysteriũ celebratur:qui omniũ martyrũ,et totius ecclesiæ caput ẽ,legito Augu.super Iohannẽ, tractatu octuagesimoquarto. & euangelium quidem solius Christi est,quia ipse solus per spiritum sanctum,est remißio peccatorum gratuita

quod est ipsum Euangelium, sed eius tamen participes sunt sancti, quibus & remissa sunt peccata, & abundatiori gratia; donati sunt a Christo, cum quo perhenniter regnant. Quare de ipsis fit cōmemoratio, ueluti in quibus triumphat Christi mors, Igitur, qui negant memoriam sanctorum in mysterio, triumpho Christi & eius gloriæ inuident.

Quæ autem memorat absurda, quæ fiunt a rudioribus, in orationibus incōgruis, qui dominicam orationem diuo Christophoro porrigunt, & angelicam salutationem beato Rocho, aut Luciæ: quiqué etiã quæ dei sunt (simplicitate quadam) sanctis adscribunt: hæc omnia modeste sunt corrigenda, sic ut populus religiosius instruatur, & tamen nihil sanctorum gratijs, & dei donis detrahatur: & nihil fiat in unam partem, quod alteri noceat. Sunt enim qui de sanctis, & eorum cultu, indigna dicunt: & pios a uera religione auertunt, contra hos sunt leges, Patres uero, sæpius in suis scriptis admonent ne cultus qui soli deo debetur transferatur in sanctos.

Ad 15. *Post hæc admiratur Adamus, quòd sacro mysterio angelos dicamus adsistere, cum omni militia cœlesti: & de loco angelorum inaniter disputat, quos ait, in uno tãtum loco esse, & ubique adsistere non posse. Quod fieret (inquit) si ubique Christo adsint præsentes. Hæc quæ dicit, quia meré phisica sunt, phisicé quoqué possunt redargui. Dicat Adamus, quibus euidentibus rationibus ostendere poterit, rem penitus incorpoream (ueluti sunt*

Angeli)*corporeo loco contineri. An ignorat, quanta sit apud Philosophos, de re hac controuersia? Quare fideliter confitemur, uniuersam angelorum militiam semper Christo famulari, ubicunque ille est. Tota enim corporalis natura, spirituali intelligentiae subdita est: & spiritus corporeis conditionibus, non ligatur. Nec sufficit hominis ingenium, de Angelicis substantijs disputare: non magis, quam si sus, disputet, de cerebro Iouis & generatione mineruae.* Quinimo Hieronymus *scribens* Hie.
contra uigilantium, putat sanctos Martyres & Apostolos ubiquè esse cum Christo. Sic enim ait, tu deo leges pones? tu Apostolis uincula inicies, ut usquè ad diem iudicij teneantur custodia, ne sint cum domino deo suo, de quibus scriptum est, sequuntur agnum quocunquè uadit? si agnus ubique, ergo, & hi qui cum agno sunt, ubique esse credendi sunt. (Ita Hierony,)*Ideo multo magis Angeli, celeritate nimia, ubique praesentes erunt, ut Christo diuinum praestent famulatum, ubicūque ille est.*
De aßistentia uero angelorum, in sacro mysterio sic ait Chrysostomus *secundum seriem graecam) libro de sacer* Chry.
dotio Angeli (inquit) per id tempus Sacerdoti aßident, lib 6.
*& coelestium potestatum uniuersus ordo, clamores exci*ca.4.
citat, & locus altari uicinus, (in illius honorem, qui immolatur) angelorum choris plenus est, Id *quod credere abunde licet, uel ex tanto illo sacrificio, quod tum peragitur.* Ego *uerò (ait) & cōmemorantem olim quendam audiui, quum diceret senem quendā uirum admirabilem*

ac cui reuelationũ mysteria multa diuinitus fuissent detecta, sibi narasse, se tali olim uisione dignum habitum a deo esse: ac per illud quidem tempus de repente angelorum multitudinẽ conspexisse (quatenus aspectus humanius ferre poterat) fulgentibus uestibus indutorum: altare ipsum circundantium, denique sic capite inclinatorũ ut si quis milites presente rege stare uideat, id quod facile mihi psuadeo. Hæc omnia Chrysostomus. Qui tria præcipue nostra confirmat, primum quòd missa est sacrificium, in qua Christus immolatur. Deindé si immolatur, nõne oportet esse præsentẽ? Postremo declarat esse isthic adorandum, quem inclinatis capitibus angeli adorant. Non credis Chrysostomo adame? Veruntamen hũc

Aug. aureum doctorem ueneratur Augustinus: & eius dicta sæpe commemorat, cõtra Iulianum pelagianum libro primo & secũdo, et in libro de natura & gratia, quos locos, si sedulo animaduertas, intelliges, quã uim habeãt scripta Catholicorum, quæ tu contemnis, & despicis.

Ad 16. Negat deindé offerendum esse sacrificium pro mortuis. Quoniã sacramẽta (inquit) pro uiuis instituta sunt, nõ pro mortuis, quare abusus est execrabilis: & impietas quòd pro mortuis, missa celebretur, sicut nec pro mortuis potest quis baptizari: ut illis prosit, & subdit, uellem ab his audire: cur hoc sacramento pro mortuis utantur, & non sacramento baptismi, & conferens baptismum cum aucharistia, feré præfert baptismũ: propter locos plures scripturæ, in quibus remissio peccatorum

baptismo ascribitur: & extat fidei articulus, in quo dici tur, Confiteor unum baptisma in remißionem peccatorum. Post hæc arguit, si pro mortuis, ualet cœna domini, ualet & baptismus, sed baptismus nõ prodest eis, ergo nec ualet sacramentum eucharistiæ.

Error totus Adami *est, in radice infidelitatis, quia opinatur, Christum non esse presentem* Eucharistiæ, *minus putat, missam esse sacrificium.* Ideo quicquid *loquitur, insania est, & inutile est argumentum: quia conditionalis est falsa.* Alia *est enim ratio* Eucharistiæ *; alia baptismi, & æqualia non sunt.* Nam *baptismo præstat* Eucharistia, *& si nullus, pro alio poßit baptizari: potest tamen Sacerdos offerre pro alio, sicut in superioribus diximus: & uanum est repetere.* Illud *nihili pendendũ est, quod dicit, sæpius in scripturis sanctis legi remißionem peccatorum, fieri per baptismum, quàm per eucharistiam, eò que putat præferendum baptismum sacro mysterio.* Hoc *argumento pariter poßet concludi, minus esse, quòd uerbum caro factum est (quia solus* Iohannes *scripsit, & in uno dumtaxat loco) quàm quòd ex quinqué panibus & duobus piscibus nimiam multitudinem* CHRISTVS *pauerit in deserto : de qua re omnes meminerunt* Euangelistæ *.* Quis *ergo non sentit frigidum esse quod dicit .* Neque *minus est fidei articulus credere, nobis remitti peccata per* CHRISTI *mortem (qua se obtulit in sacrificium) quàm per baptismum.* Qui *imo, uirtus baptismi*

peris causam Adame. Quis enim tu es, qui solus orbem tentas spoliare ritibus antiquis? Non tua est, tantam censurã facere. Haud tamẽ affirmarim omnes Cæremonias quæ in missa fiunt, esse simpliciter necessarias, Hoc modo dixerim, non esse contemnendas, uel alioqui omittendas, & qui malitiose, uel per in curiam eas negligunt, grauiter peccant: quia decorum Ecclesiæ non conseruant. Nec quicquam obest quòd Christus sine tantis cæremonijs communicauit Apostolos: quia dedit ipse Christus Apostolis et Ecclesiæ potestatẽ instituẽdi hos ritus quam Paulus se habere ostendit, qui & multa quæ scripta non sunt, seruanda tradidit: in administranda Eucharistia, sicut ipse ait. Cætera autem cùm uenero, disponam: quæ proculdubio de ritu Eucharistiæ sumẽdæ (præ reliqua) intelligenda sunt. C r. 11.

Præter hæc abusum dicit esse manifestũ, qui fit in missa propter admirandã negotiationẽ, sine discrimine dierũ, & locorum quæ non sic passim in reliquis admittitur. Hinc ait collocupletata est Ecclesia: Hinc aucti sunt redditus Episcoporũ, & Cardinalium: Hinc Luxus, Hinc pompa, hinc equorum multitudo & Curiæ frequentia: ut æquentur ducibus & principibus, Quæ omnia cessarent, missa abolita, quæ est mater Purgatorij (inquit) quia crumenulas purgat & horrea & penuaria, ut nullæ scopæ mũdius purgamẽta educant, quàm hoc purgatorium. Denique missa detrahit a uerbo dei: quod patet experientia: ubi si quis adsistat concioni uerbi dei, Ada.

posthæc egrediatur Sacerdos celebraturus, mox omnes conuertentur ad missam. Quare hos omnes abusus adinuenit sathanas, ut ad fornicandum spiritualiter, populos alliceret.

Respõsio. Has ego tuas blasphemias Adame (quisquis es) ulterius ferre non possum: & iam dixi dolorem meum: quòd aduersus tua maledicta cogor scribere, quoniam ad id me lex dei impellit, et urget, in qua legitur, si tibi
Deu. 13. uoluerit psuadere frater tuus, aut filius tuus, siue uxor tua, aut amicus, quem diligis, ut animam tuam: ut seruias dijs alienis (idest ut a ueritate discedas) nõ aquiescas eis, sed sit primum manus tua super eum, ut omnis israel audiens timeat. Christus etiam in euangelio, in hunc
Math. 9. & 18. sensum præcipit manum abscindendam: pedem proijciẽdum: necnon oculum eruẽdum, magisquàm per eos scãdalum patiamur, significans doctrinæ ueritatem (quorumlibet necessariorum gratia) nunquam esse deserendam. Ideo pro ea dilectione, quæ mihi est erga te: optarim, ut melioribus auspicijs, hãc senilẽ, et fermè decrepitam, ætatem tuam, compleres, quam perfidiæ macula aspersisti. Si iuuenili cõfidentia a catholica ueritate incautius decidisses, error tuus uideretur fortasse minor esse. Nunc mihi uideris senectutis grauitatem perdidisse, quòd (cùm prudentior esse debueris) obliuiosus factus es, nimium credulus, & delirans. Quoniã à moribus et doctrina, quã ab antiquissimis catholicis suscepisti cum lacte, leniter defecisti, & quidem ea ætate tua, in qua

decentius, pro catholica ueritate pugnare debueras: ut specimen prudentiæ tuæ, & iuuenilium laborum tuorũ laudabilius exhiberes. Quæ enim ætas ad discẽdum aptior est iuuentute? At senectus ad docendum, magis est accommoda, quæ prudentiam solet habere comitem, & quam laudat Cicero. Quomodo igitur fieri potuit, ut ea senex, doceas, quæ per reliqua ætatis tuæ curricula nõ didicisti? Quare omnino suspecta est, & falax, hæc tua nuperrima disciplina: quam a iunioribus hausisti, et ubi tu catholicorum dogmatum doctor esse debueras: nouarum hæresum discipulus effectus es. Quapropter, per eam dilectionem quæ Christi uinculo connexa est hortor ut ad eam Ecclesiam redeas, a qua recessisti & fugias a tabernaculis uirorum impiorum ne pereas pariter cum eis, quòd si meum consilium tibi displicet, ego meo functus sum amoris officio, tu uideris, quomodo deo sis rationem redditurus.

Tametsi uerò, quidam abusus, irrepserint, propter deprauatos mores quorundam prælatorum Ecclesiæ: non oportuit tanto tuo furore debachari, contra sanam doctrinam: uel (ut dici solet) propter muscas effundere lac. Ad eos autem quos postremo narrasti abusus, abunde supra responsum est: dum cum hircino colloquebar. Quia debentur alimenta ministris. Nec tamen, propterea nundinas & negotiationes (si quæ fiant ab improbis) laudamus. Illud omnino falsum est, quod per inuidiam clamitas, missam purgare Crumenas,

horrea & penuaria. Dic *obsecro, quis pauperior effectus est, aut quæ domus corruit propter eas liberas elargitiones: quæ fiunt pro uictu ministrorum* Ecclesiæ? Nõne & *hæreticorum ministri ex communi ærario stipendia sumunt?* Hic possem annotare corruptos mores hæreticorum. Quid dico corruptos? qui nunquam boni fuerunt? possem (inquam) pessimos eorum mores describere, qui fiunt ab eis, ut tollerabiliora sint, luxus, & pompa & equorum multitudo & curialium frequentia (si fiunt a perfectis Ecclesiæ) quàm, quæ fiunt ab illis hæreticis, qui propterea fauent usuris: ut liceat eis fœnerari & auctuarium facere ex autoramento, & iam maiora damna sentiunt Populi propter nouos euangelistas, quam paterentur a Catholicis sacerdotibus. Nec mirum sane, habent enim illi, quos relinquant heredes, pro quibus thesaurizant. Denique in tuis abusibus, hoc te male habet, quòd pro defunctis fiant eleemosynæ, & oblationes ad altaré, sed id tamen placet patribus, quorum iudicium sanius est, & moribus apostolicis conformius. Quod demum subdis de missa, quam dicis abstrahere a uerbo dei, constat esse falsißimum quoniam nunquam sine dei uerbo celebratur; in psalmis, hymnis, epistola, euangelio, symbolo apostolorum, & reliquis diuinis laudibus, & orationibus, instar dicti beati Pauli ad
1. Ti. 2 Timotheum, obsecro (inquit) primum omnium, fieri obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus & omnibus qui in sublimi-

tate

tate constituti sunt, ut quietam & tranquillam uitam agamus, in omni pietate & castitate. Hoc enim bonum est & acceptum coram deo, qui uult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire. Hunc locũ b. Apostoli explicat Augustinus ad Paulinum & penitus applicat ad ea, quæ obseruantur in sacro mysterio, sic dicens. In his uerbis (scilicet. b. Apostoli) Eligo hoc dicere, quòd omnis, uel pené omnis frequẽtat Ecclesia, ut obsecrationes seu præcationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione sacramẽtorum, antequam illud, quod est in domini mensa, incipiat benedici; orationes cũ benedicitur & sanctificatur, & ad distribuendum comminuitur, tunc enim Antistites (uelut aduocati) susceptos suos, per manus impositionem, misericordissime offerunt potestati: quibus peractis, & participato tanto sacramento, gratiarum actio cuncta concludit: quã in his etiam uerbis, ultimam cõmendauit Apostolus, hæc Augustinus. Ex quo patet, ea omnia, quæ in missa fiunt: sacrosancta esse, uerè pia & adoranda. Quid enim aptius potuit in commendationem missæ & Canonis totius, dicere Augustinus? Rem enim omnem pié & erudité discussit, & omnium antiquorum laudatissimos ritus religiose suscepit. At tu impudentissimè quæcunque obseruarunt patres nostri Catholici, uituperas et cõdemnas. Nempé anotomia tua (quæ execrandis blasphemijs referta est) omnes sanctos, qui ad hunc usquè diem in ecclesia fuerunt: facit idololatras, et socios demoniorum, quã

Augu. episto= la. 59.

arrogantia, quid potest opinari execrabilius? non te pudet Adame, uetustißimis illis patribus uelle præferri, qui dignitate, authoritate: eruditione, & sanctimonia, præcipui fuerant? nobis profecto præcepit Apostolus, eos esse sequendos, quorum exitum & laudatißimã cõuersationem perspeximus. Hos igitur sequimur qui uiã salutis (ex apostolicis institutis) præscripserũt. Quapropter nihil est, in celebratione sacri misterij, non rectum non sanctum, & non suspiciendum. Quinimo, quod Lutherani & zuingliani (ueluti abominandum & abhorrendum) arrogantißime prophanant, nos reuerendum, & adorandum prædicamus, Christum scilicet in eucharistia, quem etiam isthic Angeli adorant.

Heb. 13.

De quibusdam admirandis in Eucharistia, & Christo adorando, per Augustinum. Cap.

Verumenim uero, sunt quædam in sacro mysterio: quæ sensibus nostris comprehẽduntur: gustu (uidelicet) tactu, & uisu, est color oculis conspicuus, est sapor qui gustu aprehenditur, est specierum panis & uini magnitudo: quæ tactu, uisuque discernitur. Rursus sunt alia, quæ si super naturam sint, ab humano tamen intelectu (suo quodam modulo) capi possunt. Veluti quòd, remanentibus accidentibus, nihil subsistat, quod denominari posit esse huiusmodi, sicut per accidentia denotatur. Illud quippe (quanquam super naturam est) tamen, per

abstractionem humanus concipit intellectus. Verũ, illud penitus est incompræhẽsibile, quòd Christus totus, quãtus, quantus est, in cœlo, quãtus in cruce fuit: totus (uel in paruula hostia) & in qualibet eius parte, sit integer totus, & si in minutißimas partes, diuidatur hostia, nihilominus in illis integer totus est Christus, qui licet in sacramento sit, in cœlo tamen esse non desinit, quia ubi esse uult, ibi est: quia deus est, & omnis creatura ei præsens est, & eius nutui obediunt uniuersa. Qui extendit aquilonem super uacuum, & appendit terram super nihilum: nonne posset in minimo granulo milij, maiorem (quã hic totus est) facere mundum? si quis igitur curiosius interroget, quomodo Christus in sacramento sit, nos nihil aliud nouimus respondere, nisi sacramentaliter, siue per mysterium. Quid uerò sit, inesse per mysterium; si quis conetur exponere, perindè est, ac si, rem sua natura inuisibilem, & incompræhensibilem: uisibilem & cõpræhẽsibilem facere tentauerit. Quare cũ respondemus, Christi corpus & sanguinẽ sub speciebus panis & uini, in mysterio sacramentaliter contineri (quod est incompræhensibili, diuino quodã modo) debet pia mens omnino hac responsione quiescere, & curiosæ rationi hominis frænũ imponere. Quia dum apræhẽdere diuina nitimur, humana ratiõe, mẽtis acies hebetatur, ac prorsus obtũditur. Atq; hinc necessario ad rixas ac inanes cõtentiões deuoluitur, quo fit ut succedẽtibus q̃stiõibus, nec ueritas ostẽdatur, nec pmittatur intelligi

Iob 26.

ſcio magnos & doctiſsimos uiros, hac in re, quomodo Chriſtus ſit in ſacramento: an per proprias dimenſiões per partem extra partem, & an quantus, non modo quanto, & id genus; grauiter torqueri, atqué (exercitationis ergo) ſubtiliſsimas mouere quæſtiones, quæ omnino in diatribis ac publicis gymnaſijs, (nõ coram imperita plebe) diſputanda reliquerunt, nemini neceſsariam de his, credendi regulam præſcribentes, ut cuiqué ſit liberum, ſentire quid uelit, dummodo a ueritate præſentiæ Chriſti in Euchariſtia non aberret. Quod uerò candidi uiri de Chriſtiana religione benemeriti, pie diſſeruerunt, Nebulones iſti & Tenebriones atro carbone notarunt, & laudatiſsimum illorum ſtudium procaciter damnarunt, & quod eſt dolendum magis (ab illis ſumpta imprudenti occaſione) in contumeliã Chriſti retorſerunt, Quia ſacratiſsimam Euchariſtiam poſthæc iocis & delirijs ludendam expoſuerunt, Chriſti uerò ſacerdotes, raſos, unctos, Chriſti manducones, idololatras & huiuſmodi opprobrijs maledicunt & lacerant, & in ſuis impuriſsimis conuenticulis & maledicis concionibus, maxima pars eorum, quæ dicunt, in id genus ludis, ac ſcurrilibus dicacitatibus, conteritur contra papiſtas (ſic enim uocant catholicos) ut eos omnino odioſos reddant & infenſos. Quo fit, ut ſuos auditores circunuentos & deceptos, ab adorando Chriſto perterreant,
3. Re. & auertant, Nõ minus quàm ſchiſmaticus fecit ille Hie
12. roboam. Qui promiſsione dei abiecta, populum auertit

a templo ad suos uitulos in excelsis montibus, & relicto uero dei cultu, falsam religionem fundauit. Ita ij relicto Christi sacrificio & legitimis Ecclesiæ ritibus adulterinas suas nouas cæremonias intrudunt. Nam (quæ apud eos cæna domini dicitur) nihil minus est quàm quod dicitur. Quia non est cœna domini, sed cœna demoniorum per ministros sathanæ ministrata, & calix eorum, non est calix domini, sed demoniorum, & mensa eorum mensa demoniorum est. Ideo qui cum eis communicant, non possunt calicem domini bibere nec mensæ domini esse participes, sicut nos monet Apostolus. Nolo (inquit) uos socios fieri demoniorum, quod enim immolant (sicut gentes) demonijs immolant. Quia nequè benedicũt, nequè gratias agunt, nequé cõsecrant, sed quicquid fit ab illis demoniorum ministris, prophanum est & abominabile coram deo.

De his zuiglianis haud mirãdum est, si dicant Christum non esse adorandũ in Eucharistia; quem prorsus negant adesse. De reliquis uero, idest de lutheranis, qui Christum esse præsentem profitentur, quem deũ & hominem, unam ypostasim esse credunt, admiranda insania est; Quòd negent adorandum, quem adorari, statim lex ipsa naturæ, in corde descripta, conuincat, quia deus est, ubicunqué est. Nec unita diuino uerbo caro, quicquam eius diuinitatis imminuit (ut non propterea adoretur, quòd eidem in unam ypostasim unita sit) sed hoc magis humana caro in Christo debet adorari, quia sic ei est

obie. *indiuidualiter unita, sed nodulus unus superest, qui sol=*
Io. 4. *ui debet.* Dicunt *enim* Christum *non in carne, sed in spi*
respõ. *ritu esse adorandum, quia ipse dixit, spiritus est deus*
& eos qui adorant eũ, in spiritu oportet adorare. Hũc
nodum nos supra resoluimus, quem alia quoque ratione
soluendum putamus, si seriem conspicimus euangelij, in
quo Christus *cum* Samarita *muliere loquebatur, cui ne=*
que tunc omnia mysteria aperuit, neque diuinitatẽ suã
in carne latentem, manifestauit. Quòd *si tunc mulieri*
aperuißet, archanum suæ diuinitatis in carne. Nonne
statim prodißet in terram, & præsentem Christũ *ado=*
Math. *rasset?* Quid *egerunt* Magi, *qui ab extremis mundi par*
2. *tibus, uenerunt adorare paruulum in cunabulis uagien*
Lu. 7. *tem? quid egit peccatrix illa, quæ pedibus* Christi *obuo*
Lu. 5. *luta, lachrymarũ profluuio, implorabat ueniam?* Quid
petrus cùm ait, Exi *a me domine, quia homo peccator*
Mat. 28. *sum?* Quid *omnes discipuli, qui uidentes* Iesum *in mõte,*
prius quàm ascendisset, adorauerunt eum, An *peccauit*
Io. 9. *cæcus (de quo diximus) & reliqui omnes, qui in eum*
crediderunt? Quinimo *hæc adoratio est in spiritu et ue*
ritate, quæ non in figuris iudaicis adumbratur, sed in
euangelica uirtute refulget: in qua uiua fide deum pa=
trem inuocamus per Christum *qui est ueritas, & nos*
hunc Christo *spiritualem exhibemus honorem, quem ue*
rè præsentem adoramus in Eucharistia. Quapropter
Christus *cum muliere loquens, non damnauit hunc cul=*
tu m, quo ipsum deum uerum & hominem uerum adora

mus, sed docuit impiam samaritanorum superstitionem abolendam, & carnalem iudæorum religionem transferendam. Quoniam utrique Samaritæ scilicet & iudæi, adorationem dei, loco concludebant, quasi alibi quo qué non liceret adorare. Isthic ergo docet Christus, omnem locum orationi esse idoneum, ubicunqué est iustorum congregatio, uel pius affectus. Nequé tamen ob id quicquàm detrahitur adorationi Christi, quæ fit in eucharistia, sicut nec ei, quæ Christo exibebatur quamdiu peregrinabatur in terris.

HANC *cathelicam ueritatem adorationis Christi in sacro mysterio fideliter docuit Augustinus in expositione psalmi nonagesimi octaui, uersu, adorate scabellum pedum eius quoniam sanctum est. Quo loco.b.* psal. 98.
AVGVSTINVS, *omnino hanc hæresim subuertit,* Ideo *uerba eius subijciam: ut tandem uos uestri pudeat erroris, uidete (inquit) fratres, quid nos iubeat adorare,* Alio *loco scriptura dicit, Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum: ergo terram iubet nos adorare, quià dicit alio loco, quód sit scabellum pedum dei; & quomodo adorabimus terram, cùm dicat aperte scriptura.* DOMINVM DEVM TVVM *adorabis, & hic dicit.* Adorate *scabellum pedum eius? exponens autem mihi, quid sit scabellum pedum eius, dicit: terra autem scabellum pedum meorum.* Anceps *factus sum, timeo adorare terram, ne damnet me, qui*

Chris. dicit qđ istbic adoratur ab Angelis ut dictū ē.

Neque ambigendū est hanc doctrinam esse catholicā, de qua hactenus nullus, uel despatißimus hæreticus, ad dubitauit, præter hanc sordidißimam colluuiem, quæ de senescente putrido mundo erupit, ex orcho tenebroso. & scimus quia nouißima hora est, & quia antichristus uenit, & hic ē antichristus, q negat patrē et filiū; om nis qui negat filiū, nec patrem habet, & omnis spiritus, 1.Io.
qui soluit iesum ex deo nō est, et hic est Antichristus, de 2. &
quo aud istis, quoniā uenit, & nūc iā in mūdo est. Hæc 4.
uerba.b. Apostoli Iohānis sunt, quæ prorsus in nouis hæreticis cōprobātur, qui Christū soluūt cū eius carnē diuinitati unitā, negāt adorandā. Dicite uiri impijßimi, Quid aliud est Christum soluere, quam aut negare esse deum uel diuinum eidem detrahere cultum? dicite (inquam) Nonne qui dixit, Hoc est corpus meum, & hic est sanguis meus, Christus ipse totus est, qui proponitur uobis ad manducandum, qui cum patre unus est deus, per quem facta sunt omnia, a quo omnia, in quo omnia, qui fons est omnium bonorum, qui nos immensa sua charitate redemit, & in quem nos speramus, daturum nobis sua bona cœlestia? si hæc uos de illo creditis, & in ipsum speratis, An nō in illum quoque toto fervimini dilectionis affectu? & quid hoc est, nisi Christum ipsum diuino cultu colere, & adorare? at ubi maxime est adorandus, si in Eucharistia nō adoratur, in qua dulcis memoria recolitur nimiæ eius dilectionis, in qua inæstima-

Ephe. 2. et 3. biles ostendit diuitias gratiæ suæ donans nobis, delicta delens, quod aduersum nos erat Chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tullit de medio, affigens illud cruci, & expolians, principatus & potestates, traduxit confidenter, palàm triumphans illos in semetipso. Huius sacrificij oblatio deo gratißima est, ueluti omnes catholici testantur (quorum citauimus testimonia) uidelicet. Clemens Petri successor. Ignatius. Dionysius. Ireneus. Tertulianus. Origenes. Cyprianus. Gregorius. Nazianzenus. Gregorius nicenus. Basilius. Chrysostomus. Ambrosius. Hieronymus. Augustinus. Gregorius magnus. Eusebius. Hyllarius. Cyrillus. Theophilactus. Epiphanius. Arnobius. Theophilus alexandrinus. Grego. Damascenus. Isidorus. Quis tam improbus, qui tantorum catholicorum Patrum fugiat iudiciũ. quis poßit hos patres in iudicãdo habere suspectos? nihil profecto in ijs fuit eorum, quæ consultandi & iudicandi uim solent deprauare, & quæ Ethnicus ille in concilijs monet abijcienda (cùm dicit) omnes homines qui de rebus dubijs consulant, ab ira, odio Amicitia uacuos esse debere, hæ sunt animi paßiones quæ etiam perturbationes uocantur, quia uerum animi iudicium & rectum sensũm de rebus perturbãt. Verum his uiris sanctißimis, nihil ẽ, quod huiusmodi poßit opponi, sed quod a suis maioribus acceperunt: hoc fideliter posteris, credendum, tradiderunt. Næc quisquam eorum suæ inhæsit sapientiæ, sed catholicæ ueritati se humiliter subiecerũt

cæsaris uerba in cat.

quoniam nihil magis conuenit ad ferendas hæreses, quā ſi cuilibet liceat ſuæ inniti prudentiæ, ut reliquorum omnium fugiat iudicia. Nempé tot erunt hæreſes, quot homines, nec ullus unquàm alteri cedet, ſed contentiones ſemper erunt & pugnæ uerborum, ubi autem zelus eſt & contentio, ibi inconſtantia, et omne opus prauum (inquit Iacobus) quia dum unuſquiſqué ſua dogmata defendit, non cōmune commodum, ſed propriam quærit gloriam, quod eſt ſuperbæ elationis indicium. Chriſtianæ uero religionis proprium eſt, ut idipſum dicamus omnes ſentiamusqué et ſapiamus. Sic enim ait Apoſtolus in ea quæ eſt ad philippenſes Epiſtola. Implete gaudium meum, ut idem ſapiatis, unanimes, idipſum ſentientes, non quæ ſua ſunt ſinguli conſiderantes, ſed quæ aliorum. & ad Corinthios, obſecro autem uos (inquit) fratres per nomen dñi noſtri Ieſu Chriſti, ut idipſum dicatis omnes, & non ſint in uobis ſchiſmata, ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſciētia, & alibi ſæpius de his admonet, ipſe Apoſtolus, ut innoteſcat, eos qui a ſanctorum patrū ſententia, & publico totius Eccleſiæ conſenſu recedunt, uinculum Chriſtianæ charitatis non tenere, ſed penitus diſſoluere. Vt uerò ego tandem receptui canam ab his controuerſiis. Hoc modo dixerim, eos improbiſſime agere, qui non acquieſcunt iudicio tot eruditiſſimorum Antiſtitum, qui omnes ſanctitate & authoritate claruerunt. Hoc certé, manifeſtum eſt indicium, quòd nullius omnino,

Iac. 3.

Phil. c. 2.

1. cor. primo

authoritate, uel priuata, uel publica, corrigi uolunt, & licet quandoque ad oecumenica concilia prouocauerint, non serio, sed fraudulenter egerunt, desperantes, in tantis Christianorum principum dissidijs posse ex uniuerso orbe Antistites adunari. Alioqui quomodo sperandum est, hos uiros infoelices, oecumenicis concilijs sua paradoxa subiecturos, qui omnium antiquorũ Patrum iudicia spernunt? Mirum certé si ex toto orbe conueniri possunt tales uiri eruditione, integritate, grauitate, authoritate, & uite sanctitate conspicui, & qui non uno seculo fuerunt, sed per uarias mundi etates missi sunt, prout Ecclesiæ suæ expedire cognouit deus optimus. Quod si eos omnes, nouatores isti, nec hilũ faciunt, nihil profecto reliquũ spei est, oecumenicis concilijs emendari. Quandoquidem noui Ecclesiæ Antistites a semitis antiquis & tot seculis recepta doctrina non resilient, quã plantauerunt Apostoli, suo sanguine rigauerunt martyres, ab hæreticorum insolentia uindicauerunt Antistites, qui omnes uerum Christi corpus in Eucharistia adorauerunt, atque pro uiuis & mortuis in remissionem peccatorum offerri, docuerunt. Neque minus quicquam existimarunt aliquando, quã eos esse futuros in Ecclesia (præter antichristum & suos) qui tam procaciter Christi sacramentis detraherent, & insano furore omnes ritus Apostolicos blasphemarent. Ad hæc mala, inficiari non possumus, corruptos sacerdotum mores occasionem præstitisse, ob quæ tamen nõ fuit recedendum a

catholica doctrina, Atq; utinam tãdem ad sponsam suã Christus Ecclesiam, clementer aspiciat, & ab impia doctrina & malis moribus repurget ut sancta sit & immaculata in suo aduentu, qui cum patre & spiritu sancto eternaliter regnat, Amen.

CATALOGVS SANCTORVM Patrum & conciliorum quorũ testimonia conscripsimus in hoc opere, annotato Anno quo quisque claruit, uel alteri succeßit.

Clemens succeßor Petri,		Gregorius nicenus.	388.
Ignatius uicinus Apostolis		Damascenus.	390.
Ireneus anno Christi.	100.	Eusebius cesarieñ.	390.
Tertulianus	160.	Teophilus.	394.
Dionysius.	170.	Chrysostomus.	398.
Origenes.	233.	Hylarius.	400.
Cyprianus.	260.	Hieronymus.	408.
Arnobius.	300.	Augustinus.	420.
Athanasius.	334.	Cyrillus.	430.
Gregorius nazianzenus	376.	Prosper.	460.
		Gregorius papa.	600.
Basilius.	380.	Isidorus.	640.
Eusebius nicenus.	380.	Theophilactus discipulus Chrisostomi.	
Ambrosius.	384.		

Nicenum sub Constantino. 316.
Constantinopolitanum sub Theodoxio. 380.
Ephesinum sub alio Theodoxio. 430.
Calcedonense sub Martiano. 458.
Cartaginen. sub Augustino.
Mileuitanum eo tempore.
Nicenum secundum sub Irene. 784.
Arelatense sub Siluestro.
Romanum. Vercellen. Turonen. sub Nicolao.

Priuilegium extractum a registris Parlamenti Pedemontani.

VISA Per curiam Parlamenti Regij Cismontani Taurini sedentem supplicatione illi per Fratrem Hieronymum de Fossano ordinis Eremitarum sancti Augustini obseruantiũ porrecta, tendente ad finem, quòd sibi permitteretur typis imprimi facere per Martinũ Crauotum Typographum Ciuem Taurini libros quattuor sub titulo de admirando mysterio, & Christo adorãdo in Eucharistia, contra hæreses, uisa etiam testificatione facta per magistros Iosephum Parpaliam Vicarium generalem Archiepiscopi Taurinẽ. Necnõ fratrem Thomam Iacomellum inquisitorem generalem quibus dicti libri ex ipsius Curie ordinatione cõmunicati & ostensi fuerunt, qui fidem præstiterunt cum ipsorũmet subscri-

ptione, nihil in ipsis libris esse annotatum & descriptũ quod Catholicæ fidei contrarium sit, quinimó redolere omnia antiquorum Patrum eruditionem, audito super premißis Procuratore Regio generali nõ cõtradicẽtẽ:

Memorata Curia premißis precibus annuens permittit iamdicto Martino Crauoto prædictos quattuor libros ad requisitionẽ dicti supplicantis (& non aliter) imprimere. Prohibẽs de cætero omnibus Typographis & bibliopolis suæ iurisdictioni subditis, ne imprimant aut imprimi faciant, uendant aut uendi faciant ipsos libros alia impreßiõe impreßos, in hac prouincia suæ iurisdictioni subiecta, nisi transacto spacio quinque annorũ inchoandorum a die impreßionis faciendæ per dictum Martinum Crauotum sub pena confiscationis librorũ et alia eidem Curiæ arbitraria. Actum Taurini in Parlamento. Die uigesima secunda mensis Iunij. 1554.

Verqueria.

Errata huius operis.

Primus numerus designat folium, secundus faciem, tertius lineam, deinde sequitur uera lectio.

In epistola ad lectorem linea. 10. prolixior. Folio. 3. facie. 1. linea. 20. ijsce. 10. 2. 20. uerbis. 13. 2. 17. abscedendum. 15. 2. 16. non. 16. 2. 15. macello. ibi. 21. diuiniorem. 18. 2. 9. diuinitati. 22. 1. 7. uerum. 25. 1. 14. magnifacienda. 31. 2. 9. sordidam. 32. 2. 1. gloßemata. 35. 1. 24. exitiosam ibi. 2. 5. discrimine ibidem. li. 18. opera. 39 1. 8. asseclæ. 40. 1. 11. sanguinem. ibi. 2. 6. sententiis. 49.

2.9.*aduersarijs*. 58.2.3.*potuisset*.60.1.6.*adnotasse.ibi* 17.*Ecclesiam*. 66.1,1.*adduxeris*.76.1.5. *formidatis*. 77.1.17.*idololatræ.ibi*.2.9.*equus*.80.1. 13. *dissentire*. 82.1.7.*impaßibilitas*.84.1.4.*appropiare*. 97.1.1.*reuera*.104.1.20.*factibilem*.105.1.9.*durißima.eo*.3.*factibile.ibi*.9.*poscitur*.107.1.20.*initiatis*.111.2.7.*philateria.ibi*.25.*sanguis*.114.1.23.*uniuersalis*.115.2.3. *infœlix*.119.1.1.*adulterinis*.126.2.9.*tyrannide*. 134.1.18.*sacrificium*.135.2.24.*asserere*.142.2. 23. *cerebro*. 155.1.27.*constitutæ*.155.8.& *fa*,2.12.*comitijs*. 163.1.8.*cernimus*.164.2.17.*gesßisse*.163.1.13.*arbitraris*. 170.1.6.*cuncta*.171.2.9.*sustinuit*.179.1.23.*accusare*. 183.2.4.*non*.187.1.15.*antichristi*. 192.1.12. *inijcies*. 194.1.16.*reliquis*.*Præter hæc sæpius errauit typographus in his dictionibus fallax fallaciter fallaciæ & id genus simplicibus litteris uel duplicibus apponendis quæ cum exemplari non conueniunt.*

Hieronymus *niger lectori*.

Nonnulla alia reperies errata quæ hic sunt prætermissa, cum non possem singula percurrere, præsertim quia nihil est, quod a recta intelligentia remorari poßit, uel leuiter eruditum. Equidem *ingenue fateor, exemplar primum manu mea scriptum, nimium uelociter festinãtem typographum fefellit*. & *eo tempore quo paginæ erant castigandæ, tãtas ego paßus sum molestias ut uix credas*, Quare *quicquid est boni consule*. Vale.

TAVRINI. *tertio kal*, Octobres.1554.

INDEX *rerum & sentẽtiarum eorum quæ in hoc opere continentur. Post numerum foliorum. A. signat primam faciem. B. secundam.*

.A.

.D.

.T.

Soli Deo gloria.

M. D. L. IIII.